

Leg. 12. Recept. 7 n. 38 667

947



# FLORES

## EPIGRAMMA

ton ex optimis quibusque au-  
thoribus selecti per Leodega-  
rium de Quercu Rothoma-  
geum quibus accesserunt  
iocularia quæ  
animi gratia  
confinxit.

### PARISIIS.

Apud Prigentium Caluarin  
In clauso Brunello, ad insi-  
gne Geminarū Cypparū.

1 5 3 6.



947



**CLEODEGARIUS DE QUERCU**

In suos Flores, ad præstantissimum anti-  
stitem votensem sanguine cognas-  
to sibi coniunctum.

Euoluens epigrammaton libellos  
Omnes, qui in pretio videntur esse,  
Spinolos ita sensi, vt absque spinis  
Non possit rosa colligi. Ac ob illud  
Sum sectatus hymeticas apes: quæ  
Ex plantariolis malis, bonum mel  
Reddunt: Quippe ego reddidi ex cynediis  
Puros Pausanias tibi legendos:  
Viue.

**Idem**  
Sincero Lectori. S.

Si sentes odio tibi sunt, si displicet asper  
Carduus, aut lolium, vel sine fruge filix  
En pro sente, thymus: Pro villi carduo, acanthos:  
Pro lolio, bacar: Pro filice, ambrosia.  
Vtere.

**Eiusdem ad impuritatis cupitores.**  
Si quis es impurus Corydon, cui gratus alexis,  
Si quis es alcides, qui tibi queris hylam:  
Verte alio. Paticos vultus, hic nullus alexis  
Cernetur: nullus conspicietur hylas:  
Sed tibi bellerophon purus, Pro lubrico alexi  
Succurret: vice hylæ, castulus hyppolitus.  
Sape.



AVTHORES EX QVORUM  
libris collegi flosculos.

Marullus	Germanus brixius
Ausonius	Iouianus Pontanus
Politianus	Baptista mantuanus
Catullus	Fauftus
Strosæ ambo	Michael verinus
Thomas morus	Benedictus Iouius
Angerianus	Laurentius lippius
Rauisus textor	Erasmus roterodam <sup>9</sup> .
N. Bartholomeus lochiensis	Pictorius
Hie. balbus	Virgilius

A ij

HTCA

U/Bc LEG 12-1 nç947



5>0 0 0 0 4 7 7 8 2 1





FLORES  
¶ QVAE SEQVUNTVR  
sunt Marullí.

¶ De Lauro medice Petri Francisci filio.

E puero quodam Lauro certasse feruntur  
Mercuri<sup>9</sup>, maiors, Iuno, minerva, Ven<sup>9</sup>.  
D Iuno dat imperiū, Pallas cor, cypria formā.  
Mars animos, maię filius, ingenium.  
Stāt phœbi arbitrio, dictinne, thespiadūq;  
Hic vero maior lis alia exoritur.  
Delius hunc sibi vult artes largitur honoras:  
Plectra deę: castum casta diana animum.  
Iuppiter his aderat communem censet habendum.  
Hoc vno auertit iurgia consilio.  
Nequa tamen solidi puero pars deesset honesti  
Ipse pater diuum, ius dedit ipse pium.

¶ Ad Antonium principem Salernum.  
Tanta tua est probitas, Cor, virtus, gratia formę,  
Vt credam curium, nestora, achillea, hylam.  
Nec tamē aut curius quod tu, nec nestor, hylasve est.  
Quiq; suis victor hec tora traxit equis.  
Sic modo par vnus cunctis, ex omnibus vnum  
Non potes (vt cupias) deligere ipse Parem.

¶ De Amore.

Quis puer hic? Veneris, plenę quę causa pharetrę ē?  
Non bene prouisus certa q̄ arma mouet.  
Cur sine veste deus? Simplex puer odit opertum.  
Vnde puer? pueros q̄ facit ipse senes.  
Quis pennas humeris dedit? Inconstantia. Quare  
Nulla deo frons est? Signa inimica fugit.



## EPIGRAMMATON.

Quæ fors eripuit lucem? Immoderata libido.

Cur macies? vigilis cura, dolorq; facit.

Quis cecum preit? ebrietas, sopor, otia, luxus.

Qui comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.

Qui coelo dignati? homines. Quæ causa coegit?

Mitior authore est credita culpa deo:

Heu curuum genus, & veri corda inscia. quo ius

Fasq; scelus miseri si scelere abluimus.

### ¶ De Homero.

Vane quid affectas patriam mihi dicere terram?

Metirisq; hominum conditione deos?

Non me smyrna creat, non me colophonía tellus,

Non pylos, æquoreis non chios ic̄ta minis,

Non ithace, prenobile equis non argos alendis,

Non quæ de domine nomine dicta deæ est.

Non salamis, non clara suo rhodos aurea phœbo.

Aut ius, aut pharij fertilis ora soli:

Mortalis sunt ista viri. me lucidus æther

Parturit: enatum terra, fretumq; colunt.

### ¶ Ad Maximilianum Cæsarem.

Si quis opum largus, si quis virtutis alumnus.

Si quis sincere cultor amicitie,

Si quisquam dubia fati sublimior aura,

Si quis fortunam qui facit ipse sibi,

Si quis marte ferox, si quis post arma benignus,

Si quis qui quod habet, hoc habet ille bonis,

Si quis possessor fidei, probitatis, honesti,

Ne viuam, si non tu mihi Cæsar hic es.

### ¶ Ad Antonium principem salernum.

Das gemmas, aurūq; ego do tibi carmina tantum.

Sed bona si fuerint carmina, plus ego do.

A iij



# FLORES

¶ Epi. F. Sfortiæ.

Si genus audieris, spernes: mirabere gesta:  
Illud fortunæ est: hoc opus ingenij:

¶ Ad Posthumum.

Et sapiens, & amans vis idem posthume haberi,  
Posthume vis idem desipere, & sapere.

¶ Epi. vituli & asellæ.

Moerenda, vitulus, atq; asella coniuges,  
Qui morte preuenti mala, nec ille bos,  
Nec illa quiuit emori asina. hoc ex suis  
Sibi bonis sumplere quod vides soli:

¶ De Poetis Latinis,

Amor tibullo, Mars tibi maro debet,  
Terentio, foccus leuis:

Cothurnus, olim nemini satis multum,

Horatio, satyra, & chelys.

Natura magni versibus lucretij

Lepore museo illitis.

Epigramma cultum, teste Rhallo adhuc nulli:

Docto catullo, syllabæ.

Nos si quis inter cæteros locat vates,

Onerat, quam honorat verius.

¶ De Antonio principe Saler.

Olim rogatus quid sibi relinqueret

Tam multa qui cuiuis daret:

Hoc (inquit) ipsum Antonius si quid dedi:

Nam cætera haud puto mea.

¶ In posthumum.

Scribis, agis, recitas semper noua posthume: quid ni?

Posthume crede mihi quicquid agis nouus es.

¶ Ad Ia. quartum Appianum.



## EPIGRAMMATON.

Miraris quid mœsta dies? quid turbidus æther?

Cur tegat obscuris nubibus ora dies?

Incubuitq; freto subitis nox atra procellis?

Et querulum toto murmur in orbe sonat?

Digressu dant signa tuo, procul omen abesto,

Teque dolent patria tam procul ire tua:

Hinc liquet & fratri, & populo mens quæ sit, & vrbi:

Ipsa abitu cum sint mota elementa tuo.

¶ **Epi. Manilij marulli patris.**

Flens primum has auras hausi puer, omine diro:

Flebilis erepta vita fuit patria:

Nunc quoq; flens morior, ne quid non flebile restet:

Hæc est humani conditio generis.

¶ **Ad Alexandrum cortesium.**

Commendo tibi cortesi, foauum

Ipsum, non secus ac tuum marullum,

Nanque est nobilis, atque litteratus:

Et (nisi manifesta pernegamus)

Vrbanus, facilis, venustulusque:

Si me diligis (vt facis) foauum

Ipsum dilige, ama, foue, adiuuaque:

Dignus est (mihi credito) foauus,

Et sodalitiõ tuo, & fauore:

¶ **Sumpta ab ausonio.**

¶ **Exhortatio ad modestiam.**

Fama est fictilibus coenasse agathoclea regem:

Atque abacum famio sæpe onerasse luto.

Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,

Et misceret opes pauperiemque simul,

Querenti causam, respondit. Rex ego qui sum

Sicania, figulo sum genitore satus.

A iiij



# FLORES

Fortunam reuerenter habe, quicumq; repente  
Diues ab exili progrediere loco.

¶ De vxore quæ virum voluit  
veneno necare.

Topica zelotypo dedit vxor mœcha marito.  
Nec satis ad mortem credidit esse datum.

Miscuit argenti letalia pondera viui.

Cogeret vt celerem vis geminata necem.

Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum.

Antidotum sumet, qui sociata bibet:

Ergo inter sese dum noxia pocula certant,

Cessit letalis noxa, salutiferæ.

Protinus & vacuos alui petiere recessus:

Lubrica deiectis qua via nota cibis.

Q<sup>7</sup> pia cura deum; Prodest crudelior vxor.

Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

¶ In pictore deæ echus.

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor?

Ignotamq; oculis sollicitare deam?

Aeris, & linguæ sum filia: mater inanis:

Iudicij vocem quæ sine mente gero.

Extremos pereunte modos a fine reducens:

Ludificata sequor verba aliena meis.

Auribus in vestris habito penetrabilis echo:

Et si vis similem pingere, pinge sonum.

¶ In simulachrum occasionis & poenitentiae

ex posidyppo epygrammatista græco.

Cuius opus? phidiæ: qui signum pallados, eius

Quiq; Iouem fecit: tertia palma ego sum

Sum dea quæ rara, & paucis occasio nota.

Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.



## EPIGRAMMATON.

Quid talaria habes? volucris sum: mercuriusque  
Fortunare solet: tardo ego cum volui.

Crine tegis faciē? cognosci nolo. Sed heus tu  
Occipiti caluo es: ne tenear fugiens;

Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. dic rogo quæ sis.  
Sum dea cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Sum dea quæ facti, non factique exigo poenas:  
Nempe vt poeniteat: sic metanœa vocor.

Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volaui  
Hæc manet: hanc retinent quos ego præterij.

Tu quoq; dum rogitas: dum percūctando moraris.  
Elapsam dices me tibi de manibus.

¶ Epi. anitiæ puellæ mortuæ.

Omnia quæ longo vitæ cupiuntur in æuo,  
Ante quater plenum consumpsit anitia lustrum.

Infans lactauit: pubes, & virgo adoleuit:

Nupsit: concepit, peperit, iam mater obiuit:

Quis mortem accuset? compleuit numia vitæ:

Iam meritis auus est: & adhuc ætate puella.

*Annis*

¶ De varietate fortunæ.

Qui laqueum collo necebat: repperit aurum.

Thesaurique loco deposuit laqueum.

At qui condiderat: postquã non repperit aurum:

Aptauit collo quem reperit laqueum.

¶ De effigie regis croesi.

Effigiem rex croese tuam ditissime regum.

Vidit apud manes diogenes cynicus.

Constitit: vtque procul solito maiore cachinno,

Concussus, dixit: quid tibi diuitiæ,

Nunc profunt, regum rex o ditissime? cum sis

Sicut ego solus me quoque pauperior?



# FLORES

Nam quęcunq; habui, mecum fero: cum nihil ipse  
Ex tantis tecum creſce feras opibus:

¶ Ex græco traductum, ad cupidinem.  
Incipe: dimidium facti eſt coepiſſe: ſuperſit  
Dimidium: ruruſum hoc incipe, & efficies:

¶ Ex græco traductum.  
Gratia quę tarda eſt, ingrata eſt gratia, nanq;  
Cum fieri properat, gratia grata magis.

¶ Ex eodem.  
Si bene quid facias, facias cito. nam cito factum,  
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

¶ Ad Gallam.  
Vado, ſed ſine me: quia te ſine, nec niſi tecum  
Totus ero: pars cum ſim altera galla tui.

Vado tamen, ſed dimidius: vado minor ipſo  
Dimidio: nec me iam locus vnus habet.  
Nam tecum fere totus ero, quocunq; recedam,  
Pars veniet mecum quantulacunq; mei.  
Separor vnus ego: ſed partem ſumo minorem  
Ipſe mei, tecum pars mea maior abit,  
Si redeam, tibi totus ero, pars nulla vacabit  
Quę mox non redeat in tua iura. Vale.

¶ Ex menandro.  
Re fruerē vt natus mortalis: dilige ſed rem  
Tanquam immortalis: Sors eſt in vtroq; verenda.

¶ In ſtatuum ruffi, rhetoris.  
Rhetoris hæc ruffi ſtatua eſt. nil verius ipſa  
Ipſa adeo linguam non habet, & cerebrum:  
Et riget, & ſurda eſt, & non videt, omnia ruffi:  
Vnum diſſimile eſt, mollior ille fuit.

¶ Ex Politiano.



# EPIGRAMMATON.

¶ Latinum epigramma pulicis anti:  
qui poetæ.

Cum mea me genitrix grauida gestaret in aluo,

Quid pareret fertur consuluisse deos:

Mars est phæbus ait: mars foemina, iunoq; neutrū:

Cunque forem natus hermaphroditus eram.

Querenti letum dea sic ait, occidet armis,

Mars cruce, Phæbus aquis, fors rata quæq; fuit:

Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis

Quem tuleram: casu labor & ipse super.

Pes hesit ramis, caput incidit anne, tulique

Foemina, vir, neutrum, flumina, tela, cruces.

¶ Ad Pamphilum. *pol. stianus*

Mittis vina mihi, mihi pamphile vina supersunt.

Vis mage quod placeat mittere: mitte sitim.

¶ Ad fures.

Ite alio fures, nulla hic occasio lucri:

Nam fida est custos addita pauperies.

*De alcione & serpente. qui filium alcione d.*

Vidit vt implicitum puero pater anxius anguem:

Intendit dubia cornua flexa manu.

Inque feræ fauces calamum sic torsit, vt audax

Terruerit natum non minus angue senex.

Sed nunquã pius errat amor, puer (hoste perēpto)

Saluus erat, stupuit morte direpta saltis.

Victor ab hac quercu pharetram suspendit, & arcū,

Fortunæ, atq; artis quæ monumenta suæ.

¶ Ad xistum cardinalem.

Q; dubia incerto variantur nubila phœbo,

Dum petis æthruscos maxime xiste lares,

Quid mirare: tuæ sol ipse ymbracula fronti



• Obijcit, vt radios temperet ipse suos.  
 Sic te xiste videt, sic te non ledit, & vno  
 Tempore, sic geminum perficit officium.  
 Iure igitur parent homines, cui sydera parent.  
 Spes hominum prima es: primaque cura deum.

¶ De domitio & marsilio. *in linguis*  
 Audit marsilius missam: missam facis illam *missam*  
 Tu domiti, magis est religiosus vter?  
 Quis dubitet? tanto es tu religiosior illo,  
 Quanto audire minus est bona quam facere.

¶ In Laurentem medicem.  
 Cui tua gesta licet breuibus comprehēdere laurens,  
 Ille breui cœlum claudet est astra manu.

¶ In eundem cum ruri querna corona fronte  
 redimitū videret Politianus.  
 Qz bene glandifera cingis tua tempora quercu  
 Qui ciuem seruas non modo sed populum.

¶ Ad eundem.  
 Det tibi nestoreos laurenti Iuppiter annos  
 Nestoreum quoniam pectus & ora dedit.

¶ In marsilium.  
 Mores, ingenium, musas, Sophiamque supremam,  
 Vis vno dicam nomine? marsilius.

¶ In albieriam sismundi stuphæ sponsam  
 fato immaturo ereptam.  
 Quod tibi vir tenera sum rapta albiera iuuenta  
 Ne geme, cum dulce est viuere, dulce mori est.

¶ In eandem.  
 Quid quæreris genitor? viuit tua filia cœlo  
 Albiera, anne deam progenuisse doles?



# EPIGRAMMATON.

## ¶ In Iouinianum.

Non rara atthææ q̄ amem te gloria linguæ  
Causa est, non latie copia, non solime.  
Non acce ingenium, non lingua disertata, nec oris  
Gratia, nec versus vena benigna tui.  
Sed q̄ inest rarus tibi crasse in pectore candor:  
Quem nisi amem rabida tygride natus ero.  
Nec te vt amē causa est, hæc me abs te cogit amari:  
Crede mihi pretium est, solus amoris amor.

## ¶ Epi. Simonetæ.

Cum simonetta decens media iam morte labaret,  
Mors illi quidam iam prope (dixit) adest.  
Sustulit illa graues oculos, nec territa dixit:  
Hanc animam nobis qui dedit eripiat.  
Haftenus & tacuit. Repete hic æuū omne vetustas:  
Nil Par huic animo quod referatur habes.

## ¶ In niobem lapidem.

Hoc est sepulchrum intus cadauer non habens:  
Hoc est cadauer & sepulchrum non habens.  
Sed est idem cadauer & sepulchrum sibi.

## ¶ In mabilium.

Si iam carmina nostra te mabili  
Vrgent ad laqueum (miser) crucemque:  
Ne quæso propera mori, tuum ne  
Fraudes carnificē suo lucello.  
Nanque est percupidus tui, ac libenter  
Is tantum tibi dempserit laboris.  
Quid? nostin hominem? negas? at idem est  
Aurem qui secuit tibi sinistram.

## ¶ In leges.

Iuuentum attæi dicuntur iura draconis,



## FLORES

Vera est fama nimis, nil nisi virus habent.

¶ In mabilij maledicentiam.  
Ore tibi pauci, sed nulli in carmine dentes  
Cum sint, atque illi sint putridi, & veteres,  
Allatras, vt cum nequeas mordere mabili,  
Latratu ostendas te tamen esse canem.

¶ Selecta ex Catullo.  
Quoi dono lepidum nouum libellum,  
Arido modo pumice expolitum  
Corneli? tibi, nanque tu solebas,  
Meas esse aliquid putare nugas,  
Iam tum, cum ausus es vnus Italorum  
Omne æuum tribus explicare chartis,  
Doctis ( Iuppiter ) & laboriosis,  
Quare habe tibi quicquid est libelli,  
Qualecunque quidem ora per virorum  
Plus vno maneat perenne seculo.

¶ Ad M. T. Ciceronem.  
Disertissime romuli nepotum,  
Quot sunt, quotque fuere marce tullii,  
Quotque post alijs erunt in annis,  
Gratias tibi maximas catullus  
Agit, pessimus omnium poeta  
Tanto pessimus omnium poeta,  
Quanto tu optimus omnium patronus.

¶ Ad Quintium.  
Quinti si tibi vis oculos debere catullum,  
Aut aliud si quid charius est oculis,  
Eripere ei noli multo quod charius illi  
Est oculis, seu quod charius est oculis.



# EPIGRAMMATON.

## ¶ De Amore suo.

Odi, & amo, quare id faciam fortasse requiris,  
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

## ¶ De Ario.

Chōmoda dicebat, si quando commoda vellet  
Dicere, & hinsidias arius insidias.  
Et tum mirifice sperabat se esse loquutum,  
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.  
Credo sic mater, sic liber auunculus eius,  
Sic maternus auus dixerat, atque auia.  
Hoc misso in syriam requierant omnibus aures,  
Audibant eadem hæc leniter, & leuiter.  
Nec sibi post illa metuebant talia verba.  
Cum subito affertur nuntius horribilis,  
Ionios fluctus postquam illuc arius isset  
Iam non ionios esse sed hionios.

## ¶ De muliere sua.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle  
Quam mihi, non si vel Iuppiter ipse petat.  
Dicit, sed mulier cupido quod dicit amanti,  
In vento, & rapida scribere oportet aqua,

## ¶ Ad Lesbiam.

Huc est mens deducta tua (mea lesbia) culpa  
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,  
Vt iam nec bene velle queam tibi si optima fias,  
Nec desistere amare, omnia Si facias.

## ¶ Ad Varrum.

Suffenus iste varre quem probe nosti,  
Homo est venustus, & dicax, & urbanus,  
Idemque longe plurimos facit versus.  
Puto esse ego illi millia, aut decem, aut plura



**FLORES**

*Legit*  
*per scripta*  
*sto*  
Per scripta, nec sicut fit in palimpsesto  
Relata: chartæ regiae, Noui libri:  
Noui ymbilici: lora rubra: membrane  
Defecta plumbo & pumice omnia æquata:  
Hæc cum legas tum bellus ille & vrbanus  
Suffenus vnus caprimulgus, aut fossor  
Rursus videtur: tantum abhorret, ac nutat  
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,  
Aut si quid hac re tristius videbatur  
Idem infaceto est infacetior rure  
Simul poemata attigit nec idem vnquam  
Aque est beatus, ac poema cum scribit  
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.  
Nimirum idem omnes fallimur, neq; est quisquam  
Quem non in aliqua re videre suffenum  
Possis. Suus cuique attributus est error:  
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

**¶ Ad Furium.**

Furi, cui neq; seruus est, neque archa:  
Nec cimex, neque araneus, neque ignis,  
Verum est pater, & nouercha, quorum  
Dentes vel silicem comesse possunt:  
Est pulchre tibi cum tuo parente,  
Et cum coniunge lignea parentis.  
Nimirum, bene nam valetis omnes.  
Pulchre conquoquitis, nihil timetis:  
Non incendia, non graues ruinas,  
Non facta impia, non dolos veneni:  
Non casus alios periculorum:  
Atqui corpora sicciroa cornu,  
Aut si quid magis est aridum habetis



# EPIGRAMMATON.

Sole, & frigore, & esuritione.  
Quare non tibi sit bene, ac beate?  
A te sudor abest: abest saliuā:  
Mucusque, & mala pituita nāsi:  
Hanc ad mundiciem adde mundiciorem,  
Quod culus tibi purior salillo est:  
Nec toto decies cacas in anno:  
Atque id durius est faba, & lapillis:  
Quod si tu manibus teras, fricesque,  
Non vnquam digitum inquinare posses:  
Hæc tu commoda tam beata (furi)  
Noli spernere, nec putare parui:  
Et sestertia quæ soles precari  
Centum desine: nam sat es beatus.

¶ Ex Epigrammatibus titi Vespasiani stro-  
ze patris.

¶ Pro diua phyloroe.

Qui legis hoc, legito summissius, & caue quæso  
Nympham vllō turbes quæ cubat hic, strepitu,  
Viuerē credibile est, placidoque quiescere somno  
Phylloroen, quæ non digna mori fuerit:

¶ Ad Creticum.

Cretice, debemur nullo discrimine fati:  
Et peragunt dure tristia fila deæ.  
Labitur, ac nullis precibus conuertitur ætas,  
Precipitique gradu mors inopina ruit:  
Non te nobilitas, non candida forma, nec aurum,  
Nec pudor, aut pietas, restituisse valent,  
Seu sis amphion, seu sis rhodopeius orpheus,  
Non poteris dulci fata mouere sono.

¶ In dypsillum.

B



# FLORES

Fingis? an ex animo affirmas? vix credere possum  
Te toties vanum dypsilie vera loqui.

¶ Ex hercule strosa filio.

¶ De Calliroe quæ viua sepulta est.

Bis vixit, semel orta: bis hoc composita sepulchro est:  
Post sua calliroe funera facta parens:

Fœta erat, exanimis tumulatur, at excita partu,  
Poscit opem: eruitur, mox parit, atq; perit.

¶ In Pana, & amorem certantes.

Pan, & amor quondam lucta certare volentes:

Deponunt calamos, ille, vel ille sacros:

Hic onus alarum, villosæ nebridos Ille:

Proiicit hic arcus: proiicit ille pedum:

Tum liquido exutos artus perfundit oliuo:

Cecropiæque modum seruat vterq; pales:

Conseruere manus totis conatibus ambo,

Robore pan fidens, dexteritate puer:

Aspera pugna fuit, primisque assultibus anceps:

Nunc pana aiebant vincere, nunc puerum:

At demum elato prensauit cornua saltu,

Panaque (qui vincit omnia) vicit amor.

¶ Ad bembum.

Tecum habita, vt viuas: alibi quicumque moratur,

Non viuit, vita est viuere bembe sibi.

¶ Epi. Io. mirandulæ.

Hic situs est picus: cuius si cuncta perissent.

Virtutum septem vix sat erant tumuli.

¶ In amorem.

Dum veneris puer alueolos furatur hymetti,

Furanti, digitum cuspide fixit apis:

Indoluit grauitate, pueriliaque ora rigauit



# EPIGRAMMATON.

Non est mirum (ait) insolensque, quando  
Non tot sunt medici quot ebriosi,  
Iam pugna est mala quæ trucidat omnes.  
Et nos e numero sumus bibentum.

¶ In hominem mire rubeo naso.

Si tam parca meri quam scripti dextra fuisset,  
Non esset nasi tanta rubedo tui.

¶ De pictore.


Rogatus olim pictor a me perspicax  
Quid tam insolentes, ipse natos gigneret?  
Qui pingeret spectabiles imagines,  
Quas procreandis multi haberent liberis,  
Dispecta tam sunt (inquit) hæc duo inuicem,  
Quam nox aperto coeca differt a die  
Nos luce pingimus, tenebris fingimus

¶ Germanus brixius. N. B. Lochiensis.

Cur te non ego diligamque, amemque  
Toto pectore, & intimis membris?  
Qui me non modo diligasque, amasque  
Toto pectore, & in visceribus medullis,  
Ignotum mihi, & inuisumque, at ore pleno  
Laudas, & in caelis usque ad astra, & inter

nos das aliquem locum poetas.

Si quem gallia habet tamen poetæ  
Dignum nomine. Nanque ut ipse laudes  
Non agnosco tuo ore defluentes,  
Sic impense animum tuum, atque amorem  
Vlnis accipio obuijs, vicissimque  
Huius pectoris, usque, & usque gratis  
Vsuram offerimus tibi perennem,  
Quem doctæ vberibus sacris sorores





# FLORES

Lactatum instituere, & irrigatum  
Aeterno aonij liquore fontis  
Artes edocuerunt liberales,  
Per quas ipse tibi que, galliæque  
Olim conciliabis auguramur  
(Dum cœptæ haud pigeat viæ velisque  
Calcem a carcere peruenire ad ipsum)  
Famam nominis vsque sempiternam.

¶ Ex epigrammatibus Hieronymi  
mi balbi.

Dum te parua ratis, dum te leuis aura ferebat,  
Et bonus, & placido pectore mitis eras.  
Nunc vbi rostrata veheris super equora puppe  
Turgida ventosus pectora fastus agit.  
Pendula mens hominum, rebusque elata secundis  
Fallitur, & vana credulitate tumet.

¶ Ad marianum.

Quid vultu mariane truci, quid fronte seuera  
Turges? Quid tanto pondere membra quatis.  
Subter anhelat humus, vastoq; compressa laborat  
Pondere, quod renuat ferre rotas, & blas.  
Sis licet aoniæ decus immortale cohorti.  
Teque colat flexo tota caterua genu.  
Fastidire tamen noli mariane minores,  
Instabilis metuas sed leue fortis iter

¶ Ad Guidonem de rupe forti.

Quod tibi centenis renouantur rura iuuenis  
Quodque tuum a prisco stemma sefulget auo.  
Quod domus attalicis tibi splendeat æmula gazis,  
Non tu, fortunæ sed veneranda rota est.  
Quod tibi sint mores omni probitate verendi,



# EPIGRAMMATON.

Quod superes priscum religione numam,  
Non hæc fortunæ non hæc sunt munera fati,  
Sed tua sunt: omnis laus tribuenda tibi est:  
Nostra animi virtus, nostra est probitasque fidesque,  
Cætera sub regno sunt dea cæca tuo.

## ¶ Ad Guidonem.

Misisti nobis & poma & carmina vates,  
Indelibatę pignus amicitiaę.  
Carmina sic animum pascunt, vt poma palatum,  
Illa lepore iuuant: Ista sapore placent  
Poma aurum vincunt: vincunt & carmina gemmas:  
Aurum da, & gemmas, deteriora dabis,  
Poma nec alcinous misisset talia nobis.  
Carmina nec clarius tam bene culta deus.

## ¶ Ad Camillam.

Nulla ne te pietas morientis perfida tangit,  
Nulla mouent animum numina læsa tuum.  
Crudelis duris multo crudelior vrsis  
Durior & ferro, durior & lapide.  
Seuitia vincis silices, adamantas, ferasque.  
Vt reor in duro pectore marmor habes.  
Non non humani te progenuere parentes.  
Sed lupus, aut dura rupe læna ferox.  
Es genita in siluis, nutritaque lacte ferino:  
Et tibi quæ tribuit vbera tigris erat:  
Crudelis tantos nunquam miserata labores,  
Nunc satia nostris pectora fæua malis  
Tot mala nam patior q̄ celo sydera fulgent:  
Ethera quot volucres quot vehit annis aquas.  
Si quis erit, cunctos misera qui mente dolores  
Et genus omne mali noscere poscat: amet.

C



# FLORES

## ¶ Ad marianum.

Tu ne factos audes infensa voce poetas  
Spernere, pierio non bene grate choro?  
Saxa, feraeque truces, cantu rhodopeius orpheus  
Et potuit stygium perdomuisse canem.  
Captus arionis delphin dulcedine vocis,  
Illesum placido tergore vexit onus.  
Mellifluo tyrios amphyon carmine montes  
Transtulit: & lirica moenia struxit ope.  
At tu si pergis vates contemnere, dicam,  
Durior es saxis, durior atque feris.

## ¶ Ad inuictissimum galliarum regem, de venere sibi data ab reuzo equite.

Quæ donata tibi venus est francisce, volebat  
Illa loqui tecum, posse loqui ars dederat:  
Sed cum preuertis, mille admirata loquendi  
Esse tibi veneres, muta repente fuit.

## ¶ Eiusdem.

Quid sistis celeres gradus? quid aures  
Ad vocem arrigis heus viator: hæc est  
Fandi nescia, quippe sculpta, cypris:  
Abi quo properas, abi viator.

## ¶ Ex Iohanne Iouiano Pontano

### ¶ De infoelicitate amantum.

Cantando, luces peragit sub fronde cicada:  
Et mulcet sylvas carmine læta suo.  
At tenebras sub rore leui: sub deside somno  
Transigit, & noctes (nocte iuuante) suas.  
Cantando moritur, sentit nec tædia mortis:  
Quin cantu vitam ducit, & exequias:



# EPIGRAMMATON.

O foelix ortu, interitu foelicior, at me  
Et nox nigra grauat, vexat & atra dies:  
Ante fores iaceo gelidæ sub frigora Brume,  
Nec pudet ætatis, pieridumque senem.  
Ante fores sub sole leo dum feruet, & ignis  
Vstilat Icarius, conqueror vsque senex:  
Vror amans, tabesco senex, lux omnis amara,  
Nox inimica mihi est, noxq; diesque nocet:  
Sors iuuenum miseranda, senum deflenda, cicade  
Sors foelix, o Iam discite quid sit amor.

¶ Lachrymas amor, Suspiria cupidis  
ni dicata.

Debentur cereri segetes, debentur & horti  
Lampacidæ, flores candida chlori tibi.  
Mellaque debentur flauæ thymbreæ melissæ:  
In sortem cessit pallas oliua tuam:  
Sunt zephiri faciles auræ, blandique susurri,  
Sunt fontes munus casta diana tuum.  
Munditiæ charitum sunt, Oscula nubilis hebes,  
Cypridis amplexus gaudiaque illa tori.  
At lachrymas, questus, at suspirantia verba.  
Has amor assumit, illa cupido sibi:  
Crudelis vel vterque deus, sed blandus vterque,  
Blandus vterque quidem: sed sine mente deus.

¶ Amantes esse miseros.

Sol hyemes, sol æstates moderatur, & idem,  
Tempus agit noctis, tempora lucis agit:  
Talis amor. Rixas idem, pacemque procurat,  
Idem læticiam, tristitiamque mouet:  
Sol æstus, sol & glaciem, tenebrasque, diesque,  
Diuerso tamen hæc tempore cuncta facit:

C ij



## FLORES

Ast turbas, requiemque simul, lachrymasque, iocūq;  
Miscet amor: nullo tempore certa gerens.  
Semper enim variat dubius, semperque vacillat:  
Quam miser est omni tempore quisquis amat.

¶ De infelicitate amantum.

Vere rosas, segetes æstate, subinde racemos,  
Perque hyemem genij dona beata legunt.  
Flora rosas, messemque ceres, Pomana racemos,  
Inde suas genius sponte ministrat opes.  
At miserandus amans, & frigore tristis, & æstu,  
Vereque, & autumno nil nisi triste legit,  
Hinc amor, inde venus lachrymas, suspiria, questus,  
Inde cupido grauē fundit amaritiem.  
Sin quandoq; rosas legit, & legit ipse hyacinthos,  
Perque suas sentes, perque rubeta legit.

¶ Ad Anthonium panormitam.

Anthoni, decus elegantiarum,  
Atque idem pater omnium leporum,  
Vnus te rogat e tuis amicis,  
Cras ad se venias, ferasque tecum,  
Quantumcunque potes facetiarum,  
Et quicquid fuerit domi iocorum:  
Nam tantum sibi risus apparauit,  
Quantum democrito diebus octo,  
Profundi latis, & super fuisset:  
Quod tecum patulo cupit palato  
Perridere suapte risione,  
Condita leuitate, ineptijsque.

¶ In malum poetam, quem mutato nomine vtricellum vocat.

Non sunt carmina, sed cacationes,



# EPIGRAMMATON.

Quæ se scribere iactat vtricellus:  
Est merdosius omnibus latrinis,  
Quod se scribere iactat vtricellus:  
Obtura miserum camœna nasum,  
Ne te carmina tam cacata lædant:  
O merdosa poemata, o quid vnquam  
Erit, vel fuit, his magis cacatum?  
Quam primum medicos (mei sodales)  
Ad me ducite, nam maligna febris  
Dudum me tenet: vt dij, deæque,  
Isti dent mala multa, qui nec vnquam  
Scribit carmina, sed cacationes.

**C** Tumulus hypolytæ mariæ, ducisse  
calabriæ. viator loquitur.

Hyppolytam quisquis videat miretur, vt illam  
Ipse quidem credat pallada, vel venerem:  
Talis ea in tumulo est, illi sic prorsus ademit  
Mors nihil, vt dicat pallada, seu venerem:  
Permanet & decor, atque oris præstantia culti,  
Huius vt atque huius iam fluat ore melos:  
Permanet & sua maiestas, popularis & auræ  
Ille quidem vere conciliator amor:  
Vt simul & venerem referatque, & pallada, vt illi  
Insit & hinc pallas, insit & inde venus.  
Non hic hyppolite iacet, at pallasque, venusque,  
At tumulus nec habet pallada, nec venerem:  
Nec iacet hyppolite. tumulo mihi parcite diuæ  
Pallas, & hyppolite, cum venere hic recubant:  
Cum venere hyppolite recubat, cum pallade & ipsa  
Hyppolite, vt diuę tres tumulo hoc iaceant.

C iij



## FLORES

¶ Tumulus angeli genticori iuuenis bene docti.  
Nec musis non charus eras. tibi carmina musæ  
Aoniæ, & dederant fila mouere lyre:  
Et dederant linguæ cultum, & præcepta loquendi  
Genticore, atque artes posse docere bonas  
Nec tibi non aderant charites, non fautor apollo  
Angele, eras docti pars vel honesta chori.  
Sed tibi nil musæ comites, nil fautor apollo  
Profuit, aut charitum quæ tibi iuncta cohors.  
Omnia mors superat fatum secum omnia claudit,  
Non tamen hoc nostras finit amicitias.

¶ Tumulus F. gratia. non ignobilis.  
Non tibi certa domus fuerat, non culta supellex,  
Mensaque, vix tenuis docte hiachine focus.  
Hoc ex morte tibi lucrî est, q̄ nulla supellex  
Non focus ipse opus est, q̄ tibi certa domus.

¶ Tumulus rosæ puellæ ante diem  
mortuæ.

Non nomen tibi quin omen fecere parentes,  
Dixerunt cum te bella puella rosa.  
Vtque rosa breuius nihil est æqueve caducum,  
Sic cito sic breuiter & tua forma perit.  
Implesti denos vix nam formosa decembres,  
Vere rosa heu nata es, mense decembre cadis.  
Non æstus, sed te rapuerunt equora brumę  
Non æstas, sed te frigida soluit hyems.  
Ergo non hyemi flores: non rapta per hymbrem,  
Frondescis, tumulo sed male rosa rosa es.

¶ Tumulus turpilix puellæ.  
Casta fuit, formosa fuit, comisque puella,  
Turpilix verum nomina iniqua tulit.



# EPIGRAMMATON.

Moribus ornauit nomen, raroque pudore,  
Cum fuerit thalami candor, honosque tori.

¶ Tumulus hominis mendici.

Nulla mihi uiuo domus, at nunc certa sepulto est,  
Vitaque paupertas, mors mihi diuitiæ.  
Vita mihi exilium, requies at certa sepulchrum,  
Nudus eram uiuus, mortuus ipse tegor.

¶ Tumulus miluij hominis rusticani.

Falco pater mihi, coruus auus, materque columba,  
Pica auia est, quid plus? miluius ipse vocor.  
Ne ne sarcophago condas: sit in arbore bustum,  
Nidus sit tumulus nidor & ipse iuuat.

¶ De Fabio lopitiano.

Quæris qui fabium lopitianum,  
Illum querere desine in theatris,  
Aut vrbis plateis, foro aut palestris,  
Musarum hic tacitos colit recessus,  
Et pucci ædiculas eis sacratas:  
Illic aonios legit libellos,  
Ediscens elegos propertianos:  
Admirans numeros tuos tibulle:  
Et quos ad cytharam refert corinna,  
Aut magni ad lituos canit maronis,  
Diuini aut Ciceronis haurit artes,  
Curans socraticę instituta vite:  
Hic queras fabium lopitianum,  
Nam pucci hospitium colunt camœne:  
Musarum Fabius colit recessus.

¶ De Andrea contrario.

Dilexit iuuenem thalia, quem nunc  
Senem candida dilexit sophia:

C iiii



Monstravit iuueni thalia cantum?  
 Nunc seni sapientiam sophia:  
 Cantavit iuuenis modos thalię,  
 Nunc senex sapientiam reponit:  
 O foelix iuuenis, senexque foelix,  
 Contrari, o Iuuenem, o senem beatum,  
 Quem doctus puerum erudit aon,  
 Nunc senem erudiunt graues athenę,  
 Casto pectore, moribusque castis.

De federico rege ad balneas accedente.

Quid quod plus solito serenus aer?  
 Et gramen viret? & nitescit arbor?  
 Quid quod plus solito canunt volucres?  
 Cantant gutture leniore Cycni?  
 Progne, & lugubrioribus querelis?  
 En spirant zephiri salubriores,  
 Et rident (pelago silente) arenę,  
 Nullo & murmure littus obstrepescit,  
 En ducunt choreas per arua nymphę:  
 Et musę numeris suis sequuntur:  
 Ipsa & balnea perstrepunt cachinnis,  
 An non adueniente federico  
 Ipsa & balnea molliter cachinnent,  
 Ipsa & littora suauiter susurrent?  
 Agnoscunt dominum suum lacunę.  
 Regem balneolę suam salutant:  
 Assurgunt & hero suo liquores:  
 Aduentat decus elegantiarum:  
 Et flos aduenit omnium leporum:  
 Illum delitię sequuntur omnes:  
 Illum munditięque, gratięque,



## EPIGRAMMATON.

Et sceptro species potente digna:

Ne ne balneolę timete, ne ne

Mauortem socium, trucesque vultus.

Mauortem socium nihil timete,

Iussa nam timet ipse federici

Paretque imperio, & veretur illum.

Fœlices domino lauante thermæ,

Fœlices & hero iocante baiæ,

O fœlix spatiante rege littus.

Myrti dicite io, euge federice,

Euge io, canite, Euge federice.

¶ Nænia prima ad somnum prouocandum.

Somme veni, tibi luciulus blanditur ocellis:

Somme veni, venias blandule somne veni.

Luciulus tibi dulce canit: somne optime somne,

Somme veni, venias blandule somne veni.

Luciulus vocat in thalamos te blandule somne,

Somnule dulcicule: blandule somnicule.

Ad cunas te luciulus vocat: huc age somne,

Somme veni ad cunas, somne age somne veni.

Accubitum te luciulus vocat: eia age somne

Eia age somne veni, noctis amice veni.

Luciulus te ad puluinum vocat, instat ocellis:

Somme veni, venias eia age somne veni:

Luciulus te in complexum vocat. Innuit ipse,

Innuit: en venias, en modo somne veni:

Venisti bone somne, boni pater alme soporis,

Qui curas hominum, corporaque egra leuas.

¶ Nænia secunda ad vagitum sedandum.

Nutrix canit.

Ne vagi, ne blande puer, ne paruule vagi,



Blanda rogat blandum lucia luciolum.  
 Ne vagi, ne lacrimulis corrumpere misellis,  
 Turgidulosque oculos, turgidulasque genas.  
 Ecce tibi balbo ore fonat, blæso ore susurrat  
 Eugenia, & dulces garrat in aure iocos.  
 Ecce tibi mollem inflectens aurelia vocem,  
 Fabellas bellas, carmina bella canit.  
 Ne vagi mellite puer, tibi luscula ludit,  
 Gestit & ad cunas blanda catella tuas.  
 Curtiolus tibi subsultans en se erigit, en se  
 Iactitat, en teneri cruscula lambit heri.  
 An lingis lascivæ genas: ah curcule curti,  
 Ipsa tibi irascatur curcule curtiole.  
 Curtiole an ne audes: ah risit lucius. ah se,  
 Iecit in amplexus lucius ipse meos.  
 En pectus formosæ tuum: mihi dulcia iunge,  
 Oscula, & in solito molle quiesce sinu.

¶ Nænia tertia blanditoria & iocosa.  
 Nutrix canit.

Has ego luciolo mammæ, hæc hubera seruo,  
 Dexteræ mamma tua est, ipsa sinistra mea est.  
 Singultit sed luciolum, mutare licebit,  
 Ipsa sinistra tua est, dexteræ mamma mea est.  
 Vtræque sed potius tua sit. iam desine flere:  
 Desine. dextera tua est mamma, sinistra tua est.  
 Risit luciolum, mammamq; vtræque momordit.  
 Tu ne meas mamas crudule tu ne meas  
 Iam sævit, qd dico meas: ne candide sævi.  
 Hæc atque illa tua est. vtræque māmā tua est.  
 Nunc luci nunc suge ambas. ne quis malus illas,  
 Auferat, & clauso scite reconde sinu.



# EPIGRAMMATON.

¶ Nænia quarta nugatoria.

Nutrix iocatur.

Ora quis, aut quis labra mihi, linguâq; momordit?

Lucius improbulus, lucius ille malus.

Quis collum, māmâsq; meas, pectusq; momordit?

Lucius ille malus, lucius improbulus.

Ne posthac, ne tange puer: cui basia seruo?

Labraque? cui linguam hanc? antinoo, antinoo.

Cui pectus, mollemque sinum, tenerasq; papillas,

Amplexusque meos? antinoo, antinoo.

Antinoe o formose veni: tibi brachia pando,

Quam primum in nostros blande recurre sinus.

En mammas, en lacteolas formose papillas,

En cape delicias tinnula plectra tuas.

Sed quis nam nostra puer hic ceruice pependit?

Mentior, an certe est lucius improbulus?

Implicuit collo simul, & simul oscula sumpsit

Improbulus non iam, sed probus ipse puer.

¶ Nænia quinta ad somnum

inducendum.

Mater cantilat.

Scite puer, mellite puer, nate vnice dormi,

Claude tenelle oculos, conde tenelle genas.

Ipse sopor non condis ait, non claudis ocellos,

En cubat ante tuos luscule lassâ pedes.

Languidulos (bene habet) cōditq; & claudit ocellos

Lucius, & roseo est fusus in ore sopor.

Aura veni, foueasque meum placidissima natum,

An strepitant frondes? iam leuis aura venit.

Scite puer, mellite puer, nate vnice dormi,

Aura fouet flatu, mater amata sinu.



# FLORES

¶ Nænia sexta nugatoria.

Mater ludit.

Quis puer hic? age lisa tuas absconde papillas.

Hic puer en illas surripuisse parat:

Lisa tege. en tege lisa tuas. tu ne improbe, tu ne

Lucioli mammas surripuisse paras.

Luciole huc propera, propera nunc candide luci,

Ille malus properat, tu prior ante veni.

Vicisti, atque hanc ore premas, hanc corripe dextra,

I puer, hinc alias, I male, quære alias.

¶ Nænia septima nugatoria ad inducendum

soporem. Mater loquitur.

Fuscula nox, orcus quoque fuscus, aspice vt alis

Per noctem volitet fuscus ille nigris.

Hic vigiles captat pueros, vigilesque puellas.

Nate oculos cohibe, ne capiare vigil.

Hic captat seu quas sensit vagire puellas,

Seu pueros, voces comprime nate tuas.

Ecce volat, nigraque caput caligine densat,

Et querit natum fuscus ille meum.

Ore fremit, dentemque ferus iam dente laceffit,

Ipse vorat querulos, peruigilesque vorat.

Et niger est, nigrisque comis, nigroque galero,

Tu puerum clauso lisa reconde sinu.

Luciolum tege lisa, ferox quos pandit hiatus,

Qualque aperit fauces: vt quatit vsque caput.

Me miserã. an ferulas gestat quoque parce quiescit.

Lucius, & sunt qui rus abiisse putent.

Rura meus lucillus habet, nil ipse molestus,

Nec vigilat noctu, conqueritur ve die.

Næ sæui, hirsutasque manus tibi comprime sæue.



# EPIGRAMMATON.

Et tacet, & dormit lucius ipse meus.  
Et matri blanditur & oscula dulcia figit,  
Bellaque cum bella verba sorore canit.

¶ Nænia octava. nutrix arcessitur.  
Mater loquitur.

Lisa veni, expectata veni, quid lenta moraris?  
En age quid cessas? nil remorata veni.  
Et fitit, & vagit. tibi nunc conuicia dicit  
Lucius, & charos quæritat vsque sinus.  
Iam properat lisella, pedum vestigia sensi:  
Ecce venit nudo lisa parata sinu.  
En tibi lacteolæ. luci formose papillæ,  
En tibi turgidulo plena mamilla sinu.  
Tota tibi tua lisa vacat, tua lisula tota est,  
Sume venuste puer hubera, carpe sinus,  
Carpe sinus formose tuos. somnumque capeffe,  
Dicetur, cunis nænia grata tuis.

¶ Nænia nona iocosa ad blandiendum.  
Nutrix canit.

Pallidus eunomius puer est, titiusque nigellus,  
Vagit & hic noctes, vagit & ille dies,  
Luciolo roseus color est, candore refusus,  
Nec vagit noctu, nec strepit ipse die.  
Despuit eunomius mammas, tunditque papillas,  
Oscula dat tumidis lucius huberibus.  
Non titium fabella iuuat, non nænia lippæ,  
Nænia luciolum, verbaque ficta iuuant.  
Ridet & in somnis, & lisæ lucius hæret,  
Auferat & nequis callidus ipse timet.



# FLORES

¶ Nænia duodecima.

¶ Pater nato blanditur.

Pupe meus, pupille meus complectere matrem,  
Inque tuos propera pupule chare sinus,  
Pupe bone, en cape chare tuas mi pupule mamas,  
Pupule belle meus, bellule pupe meus.  
Suge, canam tibi næniolam. ne nænia non ne,  
Nota tibi nate est, nænia næniola.

Pupe meus pupille meus. næ nænia non ne,  
Nate tibi notr est nænia næniola?

Belle meus, mellite meus, næ nænia non ne?  
Nota tibi nate est nænia næniola?

Somniculus tibi iam lassis obrepit ocellis:  
Dum tibi nate placet nænia nota nimis.

Pupe meus, dormisce meus. næ nænia nostro,  
Da noctem nato nænia somniferam.

¶ Ex epigrammatibus fratris Baptistæ Man.

¶ Ad falconem.

Insignis virtute cato, Pompeius honore,  
Tullius eloquio, religione numa.  
Religio, probitas, honor, & facundia, tecum:  
Sicque viros falco quattuor vnus habes.

¶ Ad eundem.

Cur tibi tam leuis est, cur tam iucunda senectus?  
Libera quod vitijs tota iuuenta fuit,

¶ Ad eundem.

Cur aliquando fuit tibi fors inimica, nocensque?  
Quod virtus fuerit semper amica tibi.  
Æmula virtuti fors est: quos eleuat illa:  
Ista premit, crispo torua supercilio.



# EPIGRAMMATON.

¶ Ad eundem.

Praxiteles sculptor, vates maro, pictor apelles,  
Herbipotens chyron, belliger hector erat.  
Musicus amphion, typhis nauarcus: apollo  
Fatidicus: mars vi, maximus arte sinon.  
Gnosiacisalcon iaculis clarebat & arcu,  
Mercurius lingue munere, castor equis.  
Automedon currus moderatur, aranea telā:  
Artifices pallas, luna bicornis aquam.  
At commune bonum christique negotia falco  
Curat: hac illi culmen in arte datur.

¶ In eundem.

Innumeros phenix, & phebi nuntius annos  
Viuit, amadriades tempora longa deæ.  
Secula tot ceruus, tot viuit secula cornix,  
Ast hominum paucis vita diebus abit.  
Recte igitur falco maior tibi cura dierum  
Quam sit opum, redit æs, non redit vlla dies.

¶ In eundem.

Diues es, at croeso longe locupletior esses,  
Si meritis hominum diuiderentur opes.

¶ In eundem.

Pyramides nili, pharos insula iuppiter ammon  
Mausoli, & triuiæ marmora celsa deæ  
Regna semiramidis, romana palatia iunge,  
Si placet & solimi templa superba dei.  
Talia simplicitas hominum miracula finxit,  
Qui nisi terrenas nil speculantur opes.  
Hæc lapidum moles, celataque saxa fuere  
Quæ grauis eximia fecerat arte labor.  
Longa dies marmor solidum contriuit, & æra



# FLORES

Tempus enim dura singula fauce metit.  
Maius opus virtus:quam nec dissoluere possunt,  
Tempora,nec rauco fulmina pulsa sono,

¶ In eundem.

Eximiae claros cur ad virtutis honores,  
Ex humili plures vidimus ire loco.  
Pauperibus virtus (quia sit sine dote) maritis  
Nubit:habet grandes fors opulenta viros.

¶ Cur boni viri post habeantur.

Sponte malos homines, & noxia gramina nutrit,  
At melius semen ferre recusat humus.  
Mitior est proprijs, alienaque pignora semper,  
Tractat, inhumana dura nouercha manu.  
Vir bonus est caeli, malus est telluris alumnus  
Quos igitur coelum diligit, odit humus.

¶ Ex disticis faustinis.

¶ Nulla dies sine linea.

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit,  
Non decet ignauum praeterisse diem.

¶ Pecunia rerum regina.

Vnica cunctarum regina pecunia rerum,  
Praecipuum magno pro ioue numen habet.

¶ Diuiti omnia, pauperi nihil,

Quilibet equoreas semper fluit annis in vndas,  
Pauperiora culex tecta rotundus adit.

¶ Amor.

Non amor antiquo fuerat sed amaror ab aeuo,  
Dicendus. cum sit semper amarus amor.

¶ Non amans sed amens.

Si sapias amentem dicas, non lector amantem,  
Nam nihil insanus mentis amator habet.



## ¶ Vinum.

Immodicus lædit, ceu dira cicuta, lieus:  
Non facit ad longam crapula multa diem.

## ¶ Somnus.

Quam vigil ignauo demis solertia somno,  
Additur hæc vitæ longior hora tuæ.

## ¶ Fama.

Alta cleoneo querenda est fama labore:  
Non venit ex molli viuuda fama toro.

## ¶ Auarus.

Semper eget sitiens medijs ceu tantalus vndis,  
Inter anhelatas pauper auarus opes.

## ¶ Fortuna.

Vitrea dum splendet vultu fortuna sereno  
Protinus in villi fracta recumbit humo.

## ¶ Aduersa fortuna toleranda.

Perfer vlyſſeo sortem de more sinistram:  
Hæc bene duranti sub pede victa iacet.

## ¶ Hyppocrita.

Ne pura explicitæ credas sub imagine fronti:  
Raptorem occultat pellis ouina lupum.

## ¶ Dentes.

Natura omniparens dentes formauit acutos,  
Ne vaga, sed claustris lingua sit arcta suis.

## ¶ Lingua.

Quid melius lingua? lingua quid peius eadem?  
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

## ¶ Vxor.

Vxor habenda venit non vt saturata libido:  
Sed sit in æternos aucta propago dies.

D



# FLORES

## ¶ Prudens.

Quisquis es o prudens ianum sectare bifrontem  
Sunt ora, atque oculis terga videnda tuis.

## ¶ In Medicum indoctum.

Cum dicam culo merdam egrotante cacatam,  
Non ementito merdicus ore vocor.

## ¶ Lis.

Ille breui fiet misero mendicior hyro,  
Tristia qui litis bella forensis amet.

## ¶ Soli Christo qui est alpha & ω, honor & gloria.

Prima rudimenti supremaque littera graij  
Danda vni est dexter gloria christe tibi.

## ¶ Ex Michaelē verino.

¶ Mala durant quæ teneris mens  
tibus discuntur.

Heu male diluitur teneris quod mentibus hest,  
Præsertim durant quæ didicere mala.

## ¶ Forma Caduca.

Quid fidis formę populat quam morbus & ætas,  
Multis causa mali candida forma fuit.

## ¶ De eadem.

Hæc quam cernis anum, quondam formosa puella  
Extitit, an nescis quam breue forma bonum est.

## ¶ De falsis gaudijs.

Quæ durare putas mortalis gaudia vitæ,  
Sunt breuia: & finis tristis amaror erit.

## ¶ De veris gaudijs.

Vna salus seruire deo est, hæc gaudia sola,  
Vera putes, quorum gaudia finis erit.



# EPIGRAMMATON.

¶ Aliena magis quam nostra cernimus vitia.  
Cur aliena magis quam crimina nostra videmus?  
An quia nostra procul, sunt aliena prope?

¶ Ad magna premia magno  
labore itur.

Non nisi per magnos ad premia magna labores  
Itur: at ignavis nulla corona datur:

¶ Qui bene vixit non timet mortem.  
Qui bene preteritos sine labe peregerit annos:  
Non horret mortis vulnera dira pati.

¶ Mors viri boni non est deflenda.  
Non obitus flendus sequitur quem vita perennis:  
Vivus enim semper (qui bene vixit) erit

¶ Erudiendi pueri in ætate tenera.  
Dum tenera est ætas generosos imbue mores  
Tunc facile est cunctis artibus ingenium.

¶ Ex Benedicto iouio.

¶ Ocium:

Ocia corrumpunt animos pectusque virille:  
Tristius ignava nil tibi segnitie.

¶ Deliciae.

Quæ causa ad medos babilonis transtulit arces?  
Tonosconcoleros desidiosus erat.

¶ Punitio.

Corripiet populum regnator vindice sceptro,  
Quem nequeunt homines puniet ita iouis.

¶ Ex Laurentio lippio.

¶ De Palma.

Pondere non premitur sed sursum palma resurgit,  
Hinc sibi victores signa superba petunt.

D ij



# FLORES

¶ De certamine zeuzis & parrhasij.  
Fallit aues zeuzis: zeuzis deluditur arte  
Parrhasij: volucres hic capit, ille virum.

¶ Mors.

Quantula sunt hominum corpuscula, tantula rodit  
Sarcophagus: molles heu fuge delicias.

¶ B. Dardani dialogus, in iustitiam.  
Quæ dea? iustitia: ecquid toruo lumine? flecti  
Nescia sum, lachrymis, vel prece, vel pretio.  
Quod gen? a superis: ex quo genitore? modo: ecqua  
Matre? fide: nutrix quæ tua? Pauperies.

Quis gremio infantem fouit? Prudentia: quonam  
Freta duce agnoscis crimina? Iudicio.

Cur gladium tua dextra gerit? Cur leua bilancem?  
Ponderat hæc causas, percutit illa reos.

Quid rari assistunt? q̄ copia rara bonorum est:  
Quæ comes assidua? Candida simplicitas.  
Aurium aperta tibi cur altera? & altera clausa est?  
Hæc surda iniustis: Panditur illa bonis.

Paupere cur semper cultus? Iustissimus esse  
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

¶ Ex Erasmi chiliadibus.

¶ Prestat inuidiosum esse quam miserabilem.  
Peior liuore est miseratio, pindarus inquit,  
Nam sunt foelices quos petit inuidia.  
Horum nos contra miseret, quorum aspera sors est:  
At mihi donari non cupio alterutrum.  
Vt nimium foelix, vel sim miserabilis vlli:  
Nam prestat cunctis rebus adesse modum.  
Quandoquidem celse vicina pericula forti  
Imaque deprimitur non toleranda ferens.



## EPIGRAMMATON.

¶ Cicerus bacchus.

Bacche quis? unde venis? verum tibi deiero bacchū,  
Te haud noui: tantum est cognitus ille Iouis.  
Is, nectar redolet, hircum tu: dic age num te  
E spicis fixit gallia vitis inops?  
Non igitur bacchum te dixero: sed cerealem,  
Et frumentigenam, nec bromium, imo bromū.

¶ Bacchum deum temulentum, nymphis  
deabus sobrijs temperato.

Bacchus vt e flammis puer exilijsset, in vndis  
Tinxerunt nymphę sordidum adhuc cinere.  
Hinc iunctis nymphis est bacchus gratus, at ignem  
Ardentem Capiēs, hunc nisi miscueris.

¶ De Oue lupum alente.

Lacto lupū vberibus proprijs nō spōte, sed horsum  
Me demens adigit pastor vt id faciam.  
In me rursus erit fera, postquam creuerit ex me.  
Natura haud vnquam vertitur officijs.

¶ Ibici Grues.

Quondam ad desertum venientes ibice litus:  
Vitam predones eripuere tibi.  
Sæpe gruum nubem imploranti, quæ tibi testes  
Aduenere necis (cum morerere) tuæ.  
Attamen haud frustra: siquidem clangore volucrum  
Sisyphio cedem est eumenis vltā solo.  
Latronum genus heu cupidum lucri atque rapinæ,  
Cur vos nequaquam terruit ira deum?  
Quando nec ægistus (vatem qui occiderat olim)  
Attrarum occurfus fugerat eumenidum.

D iij



## FLORES

**¶** AEqualem tibi vxorem quere.  
Hospes atarnites rogitaui pittacon olim:  
Sic mitylencon, hyrradioque fatum.  
Magne senex gemine cupiunt mihi nubere: quarum,  
Et genere, atque opibus conuenit vna mihi.  
Altera precellit, quid prestat consule: dicque,  
Vtra ex his potius sit capienda mihi?  
Hic baculum tollens sic (tela senilia) dixit,  
Consilium pueri quod petis expedient.  
Quis celer in gyrum iactatus verbere turbo,  
Assiduo, latis vertitur in triuijs.  
I, sequere illorum monitus. sic fatur: at ille  
Scitatur, referunt, tu tibi sume parem.  
Quæ postquam audiuit, monitis puerilibus herens,  
A magnis hospes abstinuit thalamis.  
Atque parem paruas lætus traduxit in ædes,  
Sic dion æqualem si sapis ipse cape.

### **¶** Optimum non nasci.

Quodnam iter humane cupias insistere vitæ?  
Quo quo te vertas omnia plena malis.  
Litigijs causisque forum strepit vsque molestis:  
Perpetua cruciat sollicitudo domi.  
Enecat assiduis rus triste laboribus, vndas,  
Et freta si sulces mille pericla premunt.  
Viuenti peregre, si res tibi suppetit ampla,  
Cuncta miser metues, nec bene tutus ages.  
Rursum si vacuæ pendebunt ære crumene,  
Ut durum ac miserum est hospitem egere virum.  
Coniugium sequeris? quanta hic te cura sequetur?  
Desolatus eris, si sine coniuge eris:



## EPIGRAMMATON.

Si tollis sobolem multo educanda labore est:

Non tolles, orbi lumine vita vacat.

Si iuuenis fueris, vaga & inconsulta inuenta est:

Viribus effeta est cana senecta suis.

Ergo quid est reliquum queso nisi sanus vt optes,

Alterutrum aut nunquam tristibus, e, sinibus.

Materni prodijisse vteri, aut vbi protinus illinc

Exieris, stygias ab dier in tenebras?

¶ Metrodori sic habet huic diuersum.

Quanlibet imo viam vitæ ingrediare licebit,

Vndique blanditur plurima commoditas.

Concio si placet, atq; forum, hinc vberima famæ,

Materia, hic ingens gloria colligitur.

Hic bene tractandis prudentia callida rebus,

Exeritur: rursus vita quieta domi est.

Rura petis? vario illic oblectamine mentem,

Naturę facies pascet amena tuam.

Dulcia prædiues lucra suppeditauerit æquor:

Si peregre viuis, resque tibi superest.

Multus honor comitatur, habes nil, ergo pudoris,

Est minus, ipse tibi conscius vnus eris:

Vxor ducta tibi est: domus optima p̄inde futura est:

Non ducta est: Curis exoneratus ages:

Si tibi dulce patris cognomen, pignora nata,

Donant, & quod ames, vnde & ameris erit.

Orbus ages? Orbi est sine sollicitudine vita,

Quam patribus sobolis ferre alitura solet.

Vt constant viridi roburque vigorque inuentæ,

Commendat pietas sic sua canitiem

Nil ergo video causę cur alterutrum optes

Aut nasci nunquam aut interiisse statim.

D iiii



## FLORES

Quandoquidem humanæ quæ tandē est portio vitæ  
Non optanda bonis, atque adamanda suis?

¶ Luscinus.

Hyppocrates hominū medice, O, Iosander equorū,  
Morbos edocti pellere rite malos.

Nomina mutata, aut artem: male conuenit alter  
Ex arte alterius nomen vt accipiat.

## SVMPTA EX PICTORIO.

¶ De Christo crucifixo.

**M** E lege quæquæ ades: si qua est tibi cura salutis:  
Si tua diuinus pectora tangit amor.  
Ecce cruci affixū: quo cuncta mouēte mouēs  
Cuius cuncta bibunt fontibus: ecce sitit. (tur.  
Qui fabricat brutis auibusque sedilia: pendens  
Nil sua quo ceruix sustineatur habet.  
Est nudus, largitor opum. speciosior astris  
Liuet. & est iustus, victima pro scelere.  
Qui dat sceptrā: gerit de sentibus ecce coronam.  
Latrones inter gloria summa probro est.  
Quique refrigerium est: ipse est solaminis expers:  
Et vitæ dominus, mortuus ipse iacet.  
Hæc dixisse velim. sed tu memor esto tot atque  
Tanta tui causa sustinuisse deum.

¶ De virgine Matre.

Nauiā fluctuāgi deprensus in æquoris alto,  
Vndarum immunem quærit adire locum.  
Et volat ad muros cui strenuus imminet hostis,  
Et viso in dumos cerua leone fugit.



## EPIGRAMMATON.

Tu quoq; quē patulo insequitur Stygis arbiter ore,  
Huc fuge: sub tanta virgine tutus eris.

¶ Ad Leonellum. Summissio.

Tam monstrosa tuo sub corde superbia regnat,  
Vt rerum dominum te Leonelle putes.

Dumque tibi tumidas imponit vertice cristas:  
Paulatim ignarum sub Styga præcipitat.

Ah tandem conare tibi vilescere, nanque  
Carus eris CHRISTO: si tibi vilis eris.

¶ Flere mortuos.

Dilaceras crines: fletumque vlulatibus imples:  
Mœstaque sanguineis vnguibus ora notas.

Credis an extinctos hinc posse resurgere natos?  
Fleri obitum: est addi vulnera vulneribus.

¶ Ad Titum. Peccare.

Vnde nihil patrare homines diuersa puderet  
Crimina: quærebam quæ Tite causa foret.

Vox mihi nescio quæ tenui sic visa susurro est  
Dicere: nulla caret noxa patrocini.

¶ Ingratus.

Multa petis strictæ consanguinitatis amore:  
Multa sacrosancti iure sodalicij.

Cuncta negant fratres: tibi cuncta recusat amicus:  
Quippe manu refugis Petre fricare manum.

¶ Ad Sextum. Eleemosyna.

Extruis excelsis vrbana palatia pinnis:

Atque suis laribus prædia nulla carent.

Et bene Sexte cubas: bene pascaris: & bene vestis:  
Teque negas vti posse opibus melius.

Falleris. his inopum frigus depelle, famemq;

Summus fructus opum est has, dare pauperibus.



# FLORES

¶ Ad Cecilianum. Suspiciosus.

Nil famulo credis: nil fratribus, atque parenti:

Nil audes thalami credere consociæ.

Quid facis infelix: multi docuere fidelem

Fallere: dum falli Cæciliane timent.

¶ Ad Zoilum. Lachrymæ.

Naufragium nuper fecisti: desine flere:

Luctibus amissæ non reparantur opes.

Fœdasti vitijs tua Zoile corda nefandis,

Hoc defle. lachrymæ pectora fœda lauant.

At nisi decipior: rides mea carmina, ride

Vt lubet. ægroto mella mouent stomachum.

¶ Ad Platonem. Operandum.

Dicta beatorum ex libris collecta virorum.

Ad quodcunq; velis propositum recitas,

Dic Plato quid prodest: argenti splendor an vsus?

Effice quod loqueris. nam didicisse parum est.

¶ Ad Pollyxenam. Aduersa.

Sæpe vides alios alijs accedere ventos:

Ingerere & fluctus sese alijs alios.

Rebus in humanis ita duris dura videmus

Subnecti: didicit qui tolerare sapit.

Si petis hæc quorsum tibi cara Polyxena dicam:

Vt quod commune est omnibus: haud doleas.

Ad Caprum. Conuicia.

Te quereris natum nimis infelicibus astris.

Quod Fabius multis te premat opprobrijs.

Parce Caper lachrymis. nec enim conuicia quisquis

Audierit: sed qui fecerit, hic miser est.

¶ Ad Laurentium. Tempus.

Quo te cunque die nil sancti egisse videbis:



## EPIGRAMMATON.

Hunc tibi Laurenti deperisse puta.

Ista nec in minimis ponas dispendia damnis,  
Aere potest nullo vel breue tempus emi.

¶ Ad Erasmum ricium. Arcana dei.

Miraris iustos alios feliciter vti

Vita: alios tristes semper habere dies.

Sic etiam nocuis alijs contraria semper:

Atque alijs semper prospera fata dari.

Te moneo: fuge scrutari secreta tonantis

Consilia humani viribus ingenij.

Aut parcat deus, aut cædat iustosve reosve:

Veridico fiunt omnia iudicio.

¶ Ad Creticum. Pueri instruendi.

Formatur tenera in varias argilla figuras,

Ceraque tractanti mollificata manu.

Non secus ingenijs licet impressisse tenellis

Mores siue bonos, Cretice siue malos.

Ergo tuus puer ad recte erudiatur amorem,

Est omni admonitus durior ære senex.

¶ Ad Sacerdotes.

Imo pectore cogitate Fratres

Vestram Paulus ait vocationem:

Respondete mihi rogo parumper

Vos: qui in vertice crinibus coronam

Abrasis geritis, licet ne poni

Vobis fercula quæ grauant ferentes?

Nunquid pectinibus comas eburnis

In multos decet anulos reuolui?

Auratoque latus dolone cingi?

A duroque manus gelu vel æstu

Defendi niuea leuique circum



## FLORES

Ducto pellicula nigro corymbo?  
Et telas Phrygio decore pictas,  
Ferri vestibus hinc & hinc apertis  
A collo ad medium ampliusve pectus?  
Aut zonas quibus excitentur ad vos  
Spectandos pueri & senes? quis ædes  
(Proh crimen) veniam sacras emendi  
Vendendique dedit? Timete magnum  
Ultorem scelerum: nec hunc reflecti  
Votis fidite: cum nimis nimisque  
Mensuram vitij videt repletam.

### ¶ Ad Philenium. Adulator.

Accipitres vbi vidit anas: & aprica Phileni  
Cerua canes: properæ dant sua terga fugæ,  
Sic velut hostileis fuge dulcia verba sagittas:  
Mollis adulator non minus hoste ferit.

### ¶ Ad Petrum. Amor simulatus.

Te nisi Pierio donato volumine: nostram  
Petre relicturum scribis amicitiam.  
Desere quantumuis: tales perdantur amici,  
Si cessare potest: est simulatus amor.

### ¶ Ad Arnum. Crapula.

Vnde tot angantur mortalia corpora morbis  
Me petis: a lauto est multiplicique cibo.  
Prisci vno vtentes & simpliciore valebant:  
Tunc herba norat vix medicina decem,  
Nunc nemora & mōtes scrutatur & equora: & audeat  
Vti etiam magicis sæpe magisterijs.  
Excedunt tamen & morbi medicamina: quippe  
Quisque mori mauult quam cohibere gulam.



# EPIGRAMMATON.

¶ Ad Marium. Arma contra diabolum.  
Aduersus Stygij dolos tyranni  
Quæ sint arma petis Mari doceri.  
Thorax est tumido carere fastu,  
Cassis, ceu sibi, proximis adesse.  
Scutum, castificam tenere mentem.  
Lorica est animo pati sereno:  
Cum fortuna graui furit flagello.

¶ Ad Labienum. Consuetudo peccati.  
Quo magis ad mores per me reuocaris honestos:  
Hoc magis impura niteris ire via.  
Crede, dies venient: cum perditus vlcera flebis  
Ob longam nimium conualuisse moram.  
Nam vetus in vitijs habitus creberque remitti:  
Sed penitus tolli vix Labiene potest.  
Radix cuiuslibet peccati eradicanda.

## ¶ Meretrix.

Cum frustra vitij siccetur riuulus omnis:  
Ni fontem validis clausuris aggeribus.  
In cassum ploras: incassum pectora cædis,  
Expellenda prius turpis amica domo est.

Ad Cosmicum. Pollicies corporis.  
Assyrios fragrat tua Cosmice vestis odores:  
Teque lauas omni terque quaterque die.  
Cæsariemque pareis flauentem comis in orbes,  
Et nullus toto corpore neuus inest.  
Vita dei famulum nunquid decet ista: tonanti  
Ni sibi displiceat, nemo placere potest.

## ¶ Poenitentia.

Si tibi vis credam te poenituisse malorum,  
Prisca velim posthac crimina non iteres.



# FLORES

Turpe homini nimis est: vbi se fluuijalibus vndis  
Lauerit, a solito nolle carere luto.

¶ Ad Pamphilum. Amicitia.

Si me per terras si iusseris ire per æquor:

Scrutabor terras sedulus & maria.

Nullaque me poterunt loca deterrere ferarum:

Nec furor vndosi turbidus oceani.

Contemnam glaciem ignitosq; Hyperionis æstus:

Contemnam ventos, saxa, niues, pluuias.

Forte loqui videor nimis ardua. Pamphile, nullum

Difficile est veræ pondus amicitia.

¶ Punitio.

Dira per Italiam bacchantur bella: putasne

Hæc fieri minime prospiciente deo?

An quereris nimis hunc acri sæuire flagello?

Hei mihi quam timeo ne grauiora paret.

Crimina quo crescunt hoim magis, hoc magis ipsum

Crescere supplicium Bartholomæe decet.

¶ Ad Ilisiam. Vanitas.

Quicquid & Euphrates emittit & Idus odorum,

Id totum, atque etiam plus, tua vestis olet.

• Væ tibi cum nunquam succurrat Ilisia menti,

Quam grauis in busti carcere foetor eris.

¶ Ad Scipionem. Alios corrigere.

Ni male coniecto: videaris vt esse pudicus:

Pluribus insequeris Zoilon opprobrijs.

Carpere perfacile est alienam Scipio vitam,

Sed propriam in melius composuisse labor.

¶ Ad Iustinianum. Conuicia.

Credebam te forti animo similem esse Catoni:

Sed tibi foemineum pectus inesse doces.



# EPIGRAMMATON.

Non aliter verbis te detractoris iniqui  
Quam trifido sterni fulminis igne sinis.  
Fac redeas in te. Nec enim conuicia quenquam:  
Sed vitium turpem Iustiniane facit.

¶ Ad Propertianum. Auarus.  
Cum nolit propriae necessitati.  
Prouidisse tenax opum Philenus,  
Hunc tu credideris tibi daturum  
Quos promisit agros Propertianes  
Qui se decipit, an putabit esse  
Decepisse alium scelus nefasque?  
Haud vlla est homini fides auaro.

¶ Ad Pamphilum. Tace.  
Tandem Phamphile praedicate cessa  
Quod fixum est tibi factitare cordi.  
Ridendi datur hinc tui facultas:  
Si fecisse nequis quod est locutus.

¶ Ad Xantippum. Caelstia terrenaq;  
Haud fieri Xanthippe potest, fugientibus vt quis  
Aeternisque frui delicijs valeat.  
Quare age praesentis bona quam potes effuge vite,  
Si bona sunt, quorum finis it in lachrymas.

¶ Patientia.  
Se deus in placitis abs te cum nosset amari  
Qualis in aduersis sit, videamus, ait.  
Teque flagellauit. solita est offensa docere  
Felici vere tempore si quis amat.

¶ Ad Paulum B. Meretrix.  
Paule tibi quoniam blanditur Ilisia, gaudes.  
Laetari proprio res miseranda malo est.



# FLORES

Sis præfens mihi per magnum crucis oro triumphū:  
Et recipi testes præcipe quæso meos.  
Quodque probi Iuli est hominis: cras dicere noli  
Præsto ero: cum possis non minus esse hodie.

¶ Ad Eutychem. Finis.

Nullum æque facile ac sese quisquam Eutyche fallit.  
Gaudeo si vitam quam mihi scribis agis.  
Perge. breuem pariunt homini primordia fructum:  
Congrua ni fuerint vltima principijs.

¶ Ad Larium. Infirmitas.

Aggressa est lapidosa te podagra.  
Euita Venerem: dapes, merumque.  
Quod lex: sermo dei nequiuit abs te  
Extorquere Lari: impetrent dolores:  
Vt dum corporeo malo mederis:  
Inferni fugias lacus barathri.  
Sæpe est principium dolor salutis.

¶ Ad Maximum. Auarus.

Ne tua deficient metuis patrimonia: si quid  
Ex illis dederis Maxime pauperibus.  
Heu quibus excæcat te vasta cupido tenebris:  
Te nec enim in barathrum prospicis inde trahi.  
Ne pereat census: quicumque reculat egenos  
Pascere: pro censu funditus ipse perit.

¶ Ad Bassum. Incautus.

Fœmineis pueri spectacula festa choreis  
Dum celebrant: multos Basse perire vides.  
Et tamen huc audes accedere: cæcus & amens  
Est mihi: subsequitur qui pereuntis iter.



# EPIGRAMMATON.

¶ Ad Carolum. Doce.

Non est te CHRISTI sapientior alter in æde:  
Nec tamen vlla tibi est cura docere rudeis.  
Militibus quemcunque piget succurrere captis  
Carole, cum possit: non amat ille ducem.

¶ Mors vnde dicta.

Quæ neq; pauperibus, neq; mole potentibus auri:  
Nec pueris noui parcere: nec senibus.  
Mors vocor. impositū nunquid male dixero nomē:  
Quod fugere a morfu res nequit orta meo?

¶ Ad Gallum. Mors.

Cum sit cunctatum mors Galle grauiissima rerum:  
Communem velit hanc cur deus esse, petis.  
Forsitan vt summam fors omnibus æqua ruina  
Soletur, plures quod premit est leuius.

¶ Virtus. Vitium.

Desine cælestis tandem incusare meatus:  
Insita sunt nullis crimina sideribus.  
Quo terrena colis: studium ad cælestia verte:  
Ac bene formandis moribus inuigila.  
Sic proprij nosces animi, non sideris esse:  
Siue hominis vitam degere: siue asini.

¶ Ad Hierony. Castellum sacerdotem.

¶ Pugnandum.

Inuictum te sæpe doles Hieronymus mecum.  
Turpibus inuolui sollicitudinibus.  
Et modo conspectis carnem prurire puellis:  
Et modo cor subita corripit ab inuidia.  
Perdere spem noli. nec enim sumus ærea massa.  
Dum sumus hoc clausi corpore: vim patimur.

E ij



## FLORES

Cura sit vt stimulis circum oppugnantibus ipsa  
Mens nunquam cedat. pugna Trophæa parit.

¶ Ad Aloysium Greppium.

¶ Bona malaque præsentia.

Ne bona quis peteret nimio præsentia voto:

Et mala ne contra nequiter effugeret:

Vtraque constituit communia fontibus atque

Innocuis, trini prouida cura dei.

Cuncta tibi quanuis sint læta: tumescere noli.

Sis ne deo gratus, certior esse nequis.

¶ Ad Lucam. Cito succurrendum.

Factum Bige puta dicis mihi sæpe. quid oro

Ex verbis factum vis rear esse tui?

An pelagus? terræve globum? coelumve? putamus

Facta: quod hæc certo lumine conspicimus.

Vt mihi reddatur sublata pecunia: factum

Nunquam crediderim: reddita ni fuerit.

Luca rumpe moras: quæcunque negotia fiunt

Serius: inuita mente videntur agi.

¶ Ad Marcum Sumacium.

¶ Cito dandum.

Dicere cras dabimus: subito dare cum quis amico

Est potis: hunc longa discruciare mora est.

Dum mihi restitui mandare numismata differs:

Acceleras vitæ fata suprema meæ.

Si non vis rerum ius defendere mearum:

Ah saltem curam quæso clientis habe.

Iam clara mihi voce nega quod postulo: mortis

Promissi officij tarda fides genus est.



# EPIGRAMMATON.

¶ Ad Iacobum mellitum.

¶ Detractio.

Nemo tam pius innocensque transit  
Huius curriculum volucre vitæ:  
Ut morsus hominum queat dicaces  
Euitare, probris bonos notare  
Sunt solatia vana pessimorum.

¶ Ad Alanum. Infatiabilis.

Extractis plantas villis: plantisque locatis,  
Vicini campos proximioris emis.  
Protinus hic aliquid mutas: vix munere functus  
Quæstoris, fieri prætor Alane cupis.  
Dux equitum factus, peditum quoque quæris habenas,  
Spes generat votis spem sine fine tuis.  
Quæ precor inde capis solatia: quæue voluptas  
Est veteri curam substituuisse nouam?  
Mutare assiduos & non finire labores:  
Est homini optanda nolle quiete frui.

¶ Ad Iacobum caluum. Patientia.

En quo peruentum est: multi emendare tonantem  
Malunt quam vitam corripuisse suam.  
Quod tonat incusant, quod fulminat: indignantur:  
Quodque pluit: ningit, grandinat: ore fremunt.  
Bacchatur sacer ignis: ager sitit: impia Mauors  
Bella mouet: seges est rara: pati nequeunt.  
Tu mentem secus institue: & sine murmure cuncta  
Accipe: & iniuste crede nihil fieri.  
Quodque alijs damno est: tibi fac patientia vertat  
In lucrum humanis dulcius illecebris.

E iij



# FLORES

¶ Ad vincentium nouatum.

¶ Ocium fuge.

Si tibi perpetuæ Vincenti est cura salutis:

Ocia perpetuo delitiosa caue.

Hostis apricantem quoties videt inferus hostem:

Semper victrici currit ad arma manu.

Sed timet implicitū manuumve pedumve labore:

Aut mentis vigili sollicitæ studio.

¶ Ad Paulum Castellium. Exercenda virtus.

Quomodo scintillam flanti si adiuueris ore:

Continuo magnas elicis inde faces.

Insita sic animis virtutum semina cum quis

Excitat: vbertim luxuriare facit.

Dum potes: hæc omni studio cole. sæpe morantem

Agricola m glebas rumpere, fallit ager.

Humanæ formicam imitans iam consule brumæ:

Bruma hominis vitæ est vltima Paule dies.

¶ Ad Flaccum. Rapaces.

Inferno locuples flagrans carmino

Gutta suppliciter rogat pusilla

Linguam Flacce suam refrigerari:

Quod de diuitijs suis egenti

Nunquam dicitur erogasse quicquam.

Si quisquis dare de suo recusat

Sic affligitur igneo sub orco:

Quid nam supplicij putas rependi

Illis: qui bona prodigunt vorantque

Pupilli aut viduæ manu rapaci.

¶ Ad Marullum. Eleemosyna.

Abs te ne faciem deus Marulle

Auertat metuis: modum docebo:



# EPIGRAMMATON.

Quo securus eris: tuam caueto  
A nudo faciem famelicoque  
Auertas. dat enim deus pari par.

¶ Animus viri probi intrepidus est.  
Nunquam adeo furit exiguo fortuna flagello:  
Quin consternata mente rapente cadas.  
Teque bonos inter numeras. quo iure? quibusve.  
Legibus? intrepidum mens bona pectus habet.  
Mars ruat in populos: vrbes facer atterat ignis.  
Pallida ieiuno sæuiat ore fames.  
Vir probus hæc animo constanti sustinet: vt qui  
Norit ad æthereas hinc iter esse plagas.  
Per varias clades: per multa pericula: perque  
Mortem ipsam, æternam tendimus ad patriam.

¶ Ad Dionysium Fer. Sacer.

¶ Sacra pagina.

Qualiter esuriens in campo quærit eodem  
Semen auis: stramen bos: leporemque canis:  
Ingenijs ita diuersis diuersa ministrat  
Pabula siderei pagina sacra patris:  
Lac capit hic infans: panem robustior ætas:  
Nec caret optato curua senecta cibo.  
Et tamen huic pauci inuigilant: quia pleraque turba  
Aures: non animum consuluisse solet.

¶ Ad Aulum. Auarus.

Multa deesse putat sibi, cum sibi multa supersint  
Marcus, id eueniat forsitan vnde petes.  
Se desyderio subiicit, nec prospicit Aule.  
Mortali vitæ quid satis esse queat.

E iiii



# FLORES

## ¶ Conscientia.

Istud habet damni vitium inter cætera: quod mens  
Palpitat assiduo flagitiosa metu.

Semper enim vel si non deprendatur: in ipso

Sese deprendi posse putat scelere.

Deque suo alterius quotiens de crimine sermo est:

Cogitat: & credit se magis esse reum.

Inque dies timor hinc crescit. de moribus ergo

Cura sit. intrepidus nos bona cura facit.

## ¶ Ad Archemidorum. Captator.

Nunc pyra: nunc turdos. nunc vascula mittis Iulo:

Et dominum & regem: semideumque vocas.

Quid sibi quæso volūt hæc Archemidore? qd optas

Inde? senem ex facili fallere nemo potest.

## ¶ Ad Franciscum merulam.

### ¶ Studio instituendum.

Quo fugis? horrēdi qd habet schola? nūquid aceruos

Mens tua librorum forsitan extimuit?

Nunquam clarus erit miles: formidine quisquis

Cedendi, subitæ dat sua terga fugæ.

Pugna opus est: si quis vult vincere. arare necesse est:

Vt multo reddat foenore semen ager.

Flecte pedem: studioq; vaca. nam plura legenti

Plus dilatatur iugiter ingenium.

## ¶ Ad Francum. F. Exemplum.

Pone quod in tumido sis æquore: sæuiat auster:

Cymbaque fluctuaga diripiatur aqua

Dumque truci obniti deberet nauita ponto:

Garriat: auxiliij quid tibi France dabit?

An leuiore putas iuuenilia corda procella

Iactari? fragilis quam vaga ligna ratis?



## EPIGRAMMATON.

Si cupis, aut recto proles tua limite vitam  
Transigat, id studeas carpere primus iter.

### ¶ Spes.

In prece dicebam sequere & confide. Tonantis  
Mutari in placidum cogitur inde furor.  
Ecce datum in patriam est gnatisque tibiq; reuertí:  
Ac honor & raptæ restituantur opes.  
Teque tuosq; simul sanies furibunda reliquit:  
Quique hostis fuerat sanguinolentus:amat.  
Pressus ab exemplo discat durare. secundat  
Cuncta, vbi spes stabili supplicat ore, Deus.

### ¶ Ad Cinnamum. Mors.

Quæ modo iactabas, vbi sunt constantia verba?  
Sunt vbi sollicito libera corda metu?  
Te leuis a summo casus quassauit ad imum:  
Utque graui myrtus vento agitata tremis.  
An dictū magis est proprium quā Cinname factū?  
Inque vado facile est nil timuisse fretum?  
Sume animum, nec te sic desere, teque memento  
Esse virum, nunquam succubuisse viri est.  
Nulla diu mala discruciant, dolor euolat omnis.  
Dum sumus hic, statio nos aliena tenet.  
Mox erit hinc nobis migrandū, Collige mecum  
Sarcinulas, dicet mox herus, hospes abi.

### ¶ Ad Linum, Vitium.

Vade vltra boream, calidam transcende Syenem:  
Teque latebrosis occule Cimmerijs.  
Quo te cunque feres, turpis comitabitur vsus,  
Lassari longa nescius ille mora est.  
Si quibus obrueris, mens est explodere pestes,  
Est opus esse alium te Line, non alibi.



## FLORES

¶ Ad Theophilum. Secretum.

Verborum quedā est dulcedo Theophile: quæ clam  
Serpit: & arcanas res facit: vt retegās.

Talis & ebrietas: & amoris cæca libido est.

Hæc tria: secretus si cupis esse, fuge.

Nanque aliter quodcunq; voles latuisse: patebis

Atque breui grandis tempore rumor erit.

Quippe quid audierit quisquam: non posse videtur

Nescio quo fato conticuisse diu.

¶ Timidus.

Audaceis damas: audaceis dicere ceruos

Iam potes: his minor est quā tibi quippe metus.

Nulla vbi formido est: semper trepidare pusilli est

Pectoris: & facile est hinc ruere in barathrum.

Solerti primum fortique deinde necesse est

Vti animo: ne quis decidat in facinus.

Ne veniat caueas rerum confusio: sed cum

Venerit: aduersum fer patienter onus.

¶ Ad Marcum. Vendere sua.

Nunc syluas: nunc prædiolum: nunc pascua vendis:

Qua precor id causa consilioe facis?

Laudarem si pauperibus succurrere velles:

Et nudus nudum Marce sequi dominum.

Sin minus: id tandem reminiscere tutius esse

Ferre famem: vendi quam sua rura pati.

¶ Ad Catharinam.

Fama modo Catharina meas peruenit ad aures:

Te nostri celebrem nominis esse tubam.

Pone modum verbis. nec enim cum foemina laudat

Vlla virum: turpi suspitione vacat.



## EPIGRAMMATON.

Ne tamen ingratus tanta in præconia dicar:  
Nunc tibi pro multis laus erit vna satis.  
Insignis virgo es. vis a me discere quæ sit  
Laus in virgineo pectore summa? rubor.

¶ A Christum oratio.

Nostros Christe preces benignus audi:  
Nosti qua teneor necessitate:  
Et desiderium meum sub imo  
Cernis pectore: non peto superbas  
Cræsi diuitias: nec eminenteis  
Doctrinæ cathedras: valensque corpus:  
Nec quicquid gemino nitet sub axe:  
Sed tantummodo posco vulnerari  
Diuina mea corda charitate.

¶ Ad eundem,

Doctrinam crepitum digiti asseris esse sonantis:  
Atque voluptati qui vacat: hunc sapere.  
O vox tartareis emissâ paludibus: o vox  
Qualem nulla trium protulit Eumenidum.  
Erue captiuo nigras e pectore labes:  
Nil magis excæcat mentem hominis vitio.

## ¶ SELECTA EX VIRGILIO.

¶ P. Virgilij Maronis Hortulus.

Deste Musæ maximi proles Iouis,  
A Laudem feracis prædicemus Hortuli.  
Hortus salubreis præbet corpori cibos.  
Variosque cultus sæpe cultori refert,  
Holus suaue, multiplex herbæ genus,



## FLORES

Vuas nitenteis, atque foetus arborum,  
Non defit hortis & voluptas maxima,  
Multisque commixta modis iucunditas:  
Aquæ strepentis vitreus ambit liquor,  
Sulcoque ductus irrigat riuus fata,  
Flores nitescunt discolori gramine,  
Pinguntque terras gemmeis honoribus.  
Apes susurro murmurant gratæ læui,  
Quum summa florum vel novos rores legunt.  
Fœcunda vitis coniuges vltimos grauat,  
Textas, vt inumbrat pampinus arundines,  
Opaca præbent arbores vmbacula,  
Prohibentque densis feruidum solem comis.  
Aues canoros garrulæ fundunt fonos,  
Et semper auras cantibus mulcent suis.  
Oblectat Hortus, auocat, pascit, tenet,  
Animoque mœsto demit languores graueis,  
Membris vigorem reddit, & visus capit,  
Refert labori plenior gratiam,  
Tribuit colenti multiforme gaudium.

### ¶ De viro bono.

Vir bonus & sapiens (qualem vix repperit vllum  
Milibus e cunctis hominum consultus Apollo)  
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem.  
Quid proceres vanique læuis, quid opinio vulgi,  
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,  
Externæ ne quid labis per læuia sidat.  
Ille diem quam longus erit sub sydere cancri,  
Quantaque nox tropico se porrigit in capricorno  
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat,  
Ne quid hiet, ne quis proturbet se angulus, æquis



## EPIGRAMMATON.

Partibus vt coeat, nil vt deliret amussis,  
Sit solidum quodcunque subest, nec inania subtus  
Iudicet amotus, digitis palantibus, ictus.  
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,  
Omnia quam longi reputauerit acta diei.  
Quo prætergressus, quid gestum in tēpore, quid nō.  
Cur isti facto decus affuit? aut ratio illi?  
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?  
Quam melius inutare fuit, miseratus egentem.  
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?  
Quid volui? quid nolle bonum foret? vtile honesto  
Cur malus ante tuli? num dicto, aut denique vultu  
Perstrictus quisquam? cur me natura magis quam  
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia  
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta reuoluens  
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

### ¶ De ludo contra Auaritiam & Iram lepidum epigramma.

Sperne lucrum, vexat menteis vesana libido  
Fraude carete graues, ignari credite doctis.  
Lusuri nummos animos quoque ponere debent.  
Iraisci memini victos, placet optime frater  
Ludant secure quibus est æs semper in arca  
Si quis habet nummos veniens exhibit inanis.  
Lusori cupido semper grauis exitus instat.  
Sancta probis pax est: irasci desine victus  
Nullus vbiq̄ue potest felici ludere dextra  
Initio, furijs ego sum tribus addita quarta.  
Plecte truces animos: vt vere ludere possis.  
Ponas mature bellum præcor: iraque cesset.



## FLORES

¶ De Liuore, seu Inuidia, Carmen  
Hendecasyllabum.

Liuor tabificum malis venenum  
Intactis vorat ossibus medullas,  
Et totum bibit artubus cruorem.  
Quod quisque furit, inuidetque sorti,  
(Vt debet) sibi poena semper ipse est.  
Testatur gemitu graueis dolores.  
Suspirat, gemit, incutitque denteis:  
Sudatque frigidus intuens quod odit.  
Effundit mala lingua virus atrum.  
Pallor terribilis genas colorat.  
Infelix macies renudat ossa.  
Non lux, non cibus est suauis illi:  
Nec potus iuuat, aut sapor Liæi.  
Nec si pocula Iuppiter propinet,  
Atque hæc porrigat, & ministret Hebæ,  
Aut tradat Ganymedes ipse nectar.  
Non somnum capit, aut quiescit vnquam.  
Torquet viscera carnifex cruentus.  
Vefanos tacitus mouet furores  
Intentans animos faces Erymnis.  
Est talis, Tityique vultur intus,  
Qui semper lacerat, iecur comesti.  
Viuit pectore sub dolente vulnus,  
Quod Chironia nec manus leuaret,  
Nec Phœbus, sobolesve clara Phœbi.

¶ De Venere & vino, contra Luxuriam  
& ebrietatem.

Nec veneris, nec tu Vini capieris amore.  
Vno nanque modo Vina, Venusque nocent.



## EPIGRAMMATON.

Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi:  
Et tentat gressus, debilitatque pedes:  
Multos cæcus Amor cogit secreta fateri:  
Arcanum demens detegit ebrietas.  
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido.  
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.  
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:  
Et Lapythas bello perdis Iacche graui.  
Denique quum menteis hominū furiarit vterque:  
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.  
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum.  
Ne te muneribus lædat vterque suis.  
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis  
Seruit, finem horum transiluisse nocet.

### ¶ De litera y, Carmen.

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.  
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.  
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,  
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:  
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.  
Molle ostentat iter via lata, sed vltima mæta  
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.  
Quisquis enim duros casus virtutis amore  
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.  
Atqui desidiam, luxumque sequetur inertem:  
Dum fugit oppositos incauta mente labores.  
Turpis, inopsque simul miserabile transigit æuum.

### ¶ Est, & non.

Est, & non, cuncti monosyllaba nota frequentant:  
His demptis, nihil est hominū quod sermo volutet.  
Omnia in his, & ab his sunt omnia, siue negoti,



## FLORES

Nec seruare potes muneribus fidem.  
Fortuna immeritos auget honoribus.  
Fortuna innocuos cladibus afficit.  
Iustos illa viros pauperie grauat.  
Indignos eadem diuitijs beat.  
Hæc aufert iuuenes, & retinet senes,  
Iniusto arbitrio tempora diuidens.  
Quod dignis adimit, transit ad impios.  
Nec discrimen habet, rectaque iudicat,  
Incontans, fragilis, perfida, lubrica,  
Nec quos clarificat perpetuo fouet.  
Nec quos deseruit perpetuo premit.

### ¶ De Orpheo.

Threicius quondam vates  
Fide creditur canora  
Mouisse sensus trium fratrum  
Atque amnes tenuisse vagos,  
Et surda cantu concitasse saxa.  
Suauis sono testudinis  
Arbores sequutæ vmbra ferunt præbuisse vati:  
Sed placidis hominum dictis  
Fera corda mitigauit:  
Doctaque vitam voce temperauit.  
Iustitiam docuit:coetu quoque congregauit vno  
Moresque agrestes expoliauit Orpheus.



 FICTITIA IO:

CVLARIA PER LEODE-

garium de Quercu Rothoma-

geum, apud quæstoriam

diatribam multis locum

dicatissimum.

¶ Leodegarij de Quercu præfatio  
in sua iocularia.

Pectatissime lector, hoc ab annis

**S** iam multis scio, neminem placere

Si non miscuerit simul iocosum

Cum dulci: hoc ideo vt tibi placërem

Primum seposui ex bonis poetis

Flores, quorum odor utilis: sed vltra

Quam nardi, aut hiacynthi: eos vlyxis

Coniux penelope leget Pudore

Saluo: hos martia cum suo Cathone

Carpet, carpet & arria ipsa. Qua re

Vos o hyppoliti venite, nil hic

Quod vos fascinet vlllo odore, nil hic

Quod non magnopere & bonum & pudicum.

Sed tu vt suauius hoc bono, & Pudico,

Vtaris, recrea tuos ocellos

Lassos, hisce facetijs facetis.

Quæ si quo sale condiuntur, ille

Totus candidus est, nihilque amarus.

¶ Vale lector & si consulis boni, ne male vtaris.

F ij



## FLORES

¶ Lepidum pediculosi responsum.  
Quæsitum a quodã est, cum tanta animalia haberet,  
Cur non esset ei copia maior opum.  
Tunc ita respondit, quoniam hæc animalia, quanuis  
Gratis vendantur, sumere nemo volet.

¶ Subsannatoris Iocus.  
Subsannator ab hinc tribus diebus  
Urbem causa animi perambulabat,  
Ac cernens aliquos in otio esse,  
Dixit, si cupitis nouum videre  
Spectaclum, comitamini me euntem:  
Tandem duxit in vltimum locum vrbis,  
Quo cum languiduli fame appulissent,  
In vos conspiciate inquit, & nouam rem  
Cernetis: siquidem noui estis omnes.

¶ De diuite qui doctior noluit fieri.  
Ille aliquem vidit vestitum splendido amictu,  
Sed penitus nudum dotibus ingenij.  
Tunc ait, o hominis bellam statuam, ast vtinam esset  
Tam bella interius quam patet exterius.

¶ De rustico.  
Quidam rurestris cui nomen ludio, vidit  
Plantas, plantarum semine progenitas.  
Tum secum tacite inquit, plantabo hodie pannum  
Vt cras nascatur vestis opima mihi.

¶ De Martino & eius vxore.  
Vxor Martini tam alte crepitare solebat  
Vt nunquam somnum carperet ille toro.  
Tandem pertesus misera hæc fastidia, cepit  
Huius stertentis meiere in interulam.



## EPIGRAMMATON.

Somno experrecta hæc querit cur meiat, at ille  
Respondet ventos paruulo ab imbre abigi.

¶ De iisdem ambobus.

Huic catus adpositus fuerat leporis vice, & edit  
Donec latrantem pelleret esuriem.

Qua fraude audita, vxori coenare volenti:  
Pro cerua, mulam rancidulam adposuit.

¶ De stulto qui existimauit tempus esse  
subditum horologijs.

Stultus cum peregre velle proficiscier, inquit  
Illi cui horologiij credita cura fuit,  
Tardato horologiij cursum, vt reuolare priusquam  
Noctescat possim: lingua terenda via est.

¶ De eodem.

Huius culcitram catulus macularat oleto,  
Ac vesicæ inibi reddiderat lotium.

Proh scelus (exclamat) crudeli morte piandum,  
Pol, tu quamprimum carcere clausus eris.

Tunc vinctum catulum claudit penuario vt illic  
Escatum linguam sufferat esuriem.

Verum caseolos, & carnis frustra vorauit:

O circumspecta calliditate virum.

¶ De Amusso Musico.

Finita coena, cum tempus noctis adesset,

Amusso cuidam musa canenda data est:

Qui sese excusans false, (inquit) quomodo nocte  
Noscam, si nequeo cum micat ipsa dies?

¶ De Pastore proclui in gulam.

Pastorem dominus semel notabat

Quod (plusquam sat erat) gulæ studeret.

Cui pastor, domine (inquit) hic meus grex

F iij



## FLORES

Sumit continuo cibum: nec illi  
Exprobras: an ouis pusilla debet  
Maiori spatio vorare quam vir?

¶ De Rurestri qui vites radicibus am-  
putauit vt fierent feraciores.

Ex nostratibus vnus amputabat  
Sarmenta (vt facere assolent coloni  
Ne substantia vitis ebibatur)  
Quem cum conspiceret colonus alter  
Extreme fatuus, statim parauit  
Falcem, & funditus hac fere amputauit  
Vites, vt fierent feraciores.

¶ Ad imperitissimum medicum.

Si celebrem famam meruit violentus achilles,  
Quod fecit multos succubuisse neci.  
Fama tibi multo danda est illustrior: vt qui  
Plus hominum facias (his medicando) mori.

¶ Aliud ad eundem.

Consilio, ac armis multorum adiutus achilles  
In bello fudit millia multa virum.  
Tu sine consilio, nullis adiutus & armis,  
Interimis: virtus maior achille tua est.

¶ Ad eundem.

Pelides gladio necabat hostem:  
Hoc solis agis herbulis: an ergo  
Num tu illustrior es potente achille?

¶ De Hurmanno petrulo.

Calceolos domini puris mundauerat vndis  
Petulus, expurgans vndique sorditiem.  
Quos herus vt vidit tulit indignanter: & inquit:  
Nunquam illos mundes flumine, verum adipe:



# EPIGRAMMATON.

Hoc mandatum animo fixit sic firmiter, vt mox  
Interulam domini lauerit ipso adipe.

¶ De eodem rursum.

Ridiculus mos est dum romanalia neuſtri  
Concelebrant, laruas affigere imbritijs.

Quas ſi ruſticuli tentent fortasſe videre,  
Clamant rauletos nomine barbarico.

Petrulus hoc luſu motus, fecit ſibi laruam  
De domini cultu, vt comptior illa foret.

Aſt herus ignorans facti, cum cerneret illam,  
Extimuit, credens eſſe ſe in imbritio:

Tunc illis qui aderant dixit, vos obſecro ferte  
Ferte citi auxilium: pendeo in imbritio.

¶ De lurcone auaro.

Lurco erat immodice vini ſitibundus: at idem  
Auri, ac argenti, Sobrius immodice.

Qui dum ſentiret grande æs ſe expendere vino,  
Conſtituit nunquam meiere, ne biberet.

Tandem in veſica lotium computruit: inde  
Amiſit vitam, cum retineret opes.

¶ De fure Paſtore, qui furti poenas luit

Quidam dux ouium calceolos habens  
Pertuſa ſolea, contulit in forum

Se mane: & corium cum pice ſuſtulit  
In ſacco lacero: quem dum humero adderet,

Pix que lubrica erat corruit illico  
In dorſum miſeri: & fluxit in infimas

Partes corporeas quas pudor occulit:  
Illic tam rigide, tamque diu heſitans,

Vt vix vndecima luce cacauerit,  
Sic impune malum non faciunt mali.

F iiij



## FLORES

### ¶ De lurcone sexagenario.

Olim quærebam a quodam lurcone, quot annos  
Natus erat: quoniam certum erat esse senem.  
Respondens, solum annum sum natus: at annus  
Hic, iam multoties est iteratus ait.

### ¶ De eodem.

Illum ego cum a senio vellem laudare, petiuit,  
Sum ne ego (qui primum dentio) sum ne senex?

### ¶ De ebrio seruo in cuius os equus stercorauit.

Seruus mirifice satis, cibatus,  
Disquirens thalamum suum vt cubaret,  
Intrauit stabulum: ac ibi supinus  
Somnum carpsit hiante naso, & ore:  
Mox ventrem exonerat caballus, ac os  
Et nasum miseri repleuit: vnde  
Indignatus, ait: satis comedi  
Quid das vltorius mihi? cui amarum est  
Quicquid porrigitur: vide vomo illud.

### ¶ Lucij ægrotantis facetissimum factum.

Lucius exoptans ventrem mollire: cucurrit  
Ad medicum, vt posset reddere ventris onus.  
Cui medicus duo dat laxantia pharmaca, quorum  
Vnum bucca, aliud podice contereret.  
Quæ capit, & portat: sed dictorum immemor, hausit  
Illud bucca, quod podice debuerat.  
Qua causa factum est vt bucca & podice, pene  
Sexagenarum corbium oleta daret.

### ¶ De lucia eius filia.

Nata eius maior natu cui lucia nomen,  
Vni vendebat mespila cruda viro.



## EPIGRAMMATON.

Ac vt ei melius commendet mespila dixit  
Mollia sunt plusquam stercora, gusta & eme.

¶ De somniatore qui oletum reddidit lecto.  
Fusca nocte aliquis ruscio somnians  
Credebat se in agris tres cumulos opum  
Effodisse, & ait: stercoribus tribus  
Signabo, vt melius comperiam locum.  
Quod fit, terque cacat, sed miser excitus  
Prima luce, toro cui recubans erat  
Inuenit vice opum villia stercora.

¶ Pica Fabro. S.

Viue, Vale, Salue, faber ornatissime fabrum,  
Qui desiderij blanda Cupido mei es.  
Scripta ego misissem (quanuis non cogis) at hercle  
Malo meum corpus mittere, si ipse voles.  
Si ipse voles tamen vt mittatur scriptio, mittam  
Scriptio si fuerit corpore grata magis.  
Sed mihi candidulum corpus si noueris esse,  
Scriptio vilesset, corpus habere voles.  
Quandoquidem cum sis mirus candoris amator  
Hic tibi gratus erit qui mihi candor inest,  
Cuius si quod opus fuerit potes (vt lubet) vti  
Verum candoris (quod scio) tu sat habes.  
Viue.

¶ Quæstionum prima, ad quendam qui insipientis & sapientis personam gessit.

¶ Lingua siluestri.

Zinomaneb quindso stotmin vuits: nilfia quiruec,  
Mas dorkim firgost haldior oucdepiquit.



## FLORES

Psichip raboltes, suluorops dirpsimel houdmindz,  
Kirfton galdepitris toucmiof elpiachic.

¶ Hoc est latinis verbis.

Tu qui olim sapiens, verum ex sapiente, repente  
Factus es infronitus morio, & insipiens.

Dic, an qui sapiunt vita meliore fruuntur,

Quam facit infronitus morio, & insipiens?

¶ Quæstio secunda cur gryllus vlyxis  
locius maluit manere sus quam re-  
formari in virum.

Gryllus cum ex homine in suem, fuisset

Transformatus, ab herbulis malignæ

Circes: cur speciem suis tam amavit,

Vt tunc maluerit manere sus, quam

Vir rursus fieri? an ne (quæso) forsitan

Quod viuunt melius sues? minusque

Peccant, quam faciunt viri? hercle opinor.

¶ Quæstio tertia, democula ne verius  
quam domuncula quæ domino o-  
culum demit?

Marcus, cerdo domunculam extruebat,

Quæ demit misero exeunti ocellum.

Quæro ergo an ne domunculam hanc, vocemus

Recte democulam? nam ocellum ademittit.

¶ Quæstio quarta, de Fure.

Fur mane ingrediens domum coloni

Cuiusdam, rapuit meri quaternas

Pintas, nec satis hoc ei: sed armum

Veruecis simul abstulit latenter:

Tandem cum proficiscitur per agros,

Inuenit rapidum lupum, qui ademittit



## EPIGRAMMATON.

Vitam cum mero, & armo: id ergo quaero  
An non restituenda sunt ea illi?

¶ Quæstio quinta, de Sciolo.

Ipse loquitur.

Soli me vincunt homines doctrina: ego vero

Solus doctrina cætera bruta præeo.

Quis me igitur scitum, doctumque negauerit esse?

Cum maiora viris plurima bruta sient?

¶ Idem de seipso, argumentatur.

Heus vos, est cerebrum mihi peræque

Magnum, vt quinque ouibus simul repostis,

Nec quit verbula quinque continere,

Sed multos hominum disertiorum

Vidi qui cerebro minus capaci

Sunt quam sola ouis, ergo confitendum est

Illud, quod minus est capacitate,

Multo grandius est magis capaci.

¶ SERIA PER L. DE QVERCV.

Iusticiam sermone compellat.

O, Astræa Iouis benigna nata

Quæ me annos quatuordecim integellos

Fouisti teneris tuis papillis,

Tam arcte, tam tenere, tam amanter, vt vix

Quenquam ex pignoribus tuis peræque

Sis complexa diu: Peto, peto, inquam

Ne me desieris fouere: quanuis

Hoc corpusculum abiuerit, manente

Mente, vt qui nequeam, vel horula vna

Vsqum degere non memor tui, vnde

Persuadere tibi potes, me vbique

Tecum, finitima propinquitate



Quantumcunq; procul Caro recedet.  
 Ergo astræa Iouis benigna nata  
 Si me tam tenere, tam amanter, olim  
 Fouisti teneris tuis Papillis  
 Ne me desieris fouere. Nempe  
 Quo me cunque feram, tuus manebo.

¶ M. N. Stephano rufo, Haricuriæ prouisor.  
 Tunc bene conueniunt rebus sua nomina, quando  
 Res ipsæ ex ipso nomine nomen habent.  
 Vnde fit vt stephanus recte vociteris, ob id quod  
 Inter christilogos ruffa corona nites.

¶ Ro. Botherelio, præceptori mihi vice  
 Parentis semper habito.  
 Cum sis alter ego, & sim alter tu, si tibi mittam  
 Munera, crediderim mittere me hercle mihi.  
 Nam mea, quæ mea sunt non credo, sed tua: quare  
 Ne tua detineam iam tua mitto, vale.

¶ Eidem.  
 Cum cõmunia sint omnia fratribus,  
 Censerer merito Pessimus omnium  
 Fur, ni te facerem participem boni  
 Quod commune tibi reddere debeo.  
 Ergo ne dubita sumere quod tuum est:  
 Nec mi gratiolas iam refer ex tuo.  
 Nam cur gratiam agas si tibi dem tuum?  
 Nil obnoxius es pro tibi debito.

¶ G. Quercetano medico prudentissimo.  
 Adprime multos celebrat cariõsa vetustas  
 Pingendi insignes arte fuisse viros.  
 Nullus at ex illis erat æquiparandus apelli,  
 Quæ causa est: nullo tempore segnis erat.



## EPIGRAMMATON.

Sic in id exemplum quoniã tibi línea ducta est  
Quotidie, tandem factus es Hippocrates.

¶ Io. Fabro Clipũuilleo Curioni, &  
Canonico Rothomagensi.

Dedalus artificum longe celeberrimus olim  
Creditus est, quorum nobile nomen erat.  
Attamen is tantum cudit vel ligna, vel æra,  
Vel celeres alas vnde erat effugium.

Tu fidem, amicitiam, studium, cum pace sacrata  
Cudis, ob id superas dedalum, vt ille alios.

¶ Eidem.

Nos fabricando sumus fabri: qui tempore in omni  
Fabricat, hic tandem fit faber egregius.

Sed si ipsis fabris Operosa industria, tantum  
Famæ addit, quantũ temporis extat opus.

Fama tua insignis tantos florebit in annos  
Vt nullo seculo Possit habere modum.

Nempe tuas statuas nunquam Iouis ira, vel ignes,  
Vel tempus, vel edax vlla senectã teret.

• ¶ Ad G. Villicum.

Villice vis dicam? vis dicam, villice? cur tu  
Ad tui amorem omnes tam facile allicias?  
Scitus es, vrbanus, facilis, studiosus, amœnus,  
Tanquam musarum creueris in gremio.

Quisnam igitur tam est amussus mi villice, quem tu  
Ad tui amorem arctum non facile allicias?

¶ P. Breberio de duritie quarũdam cer-  
uicosarum mulierum.

Crudeles furias leniuit thracius orpheus,  
Et mulsit stygiũ cantibus ora canis:  
Attraxit secum fluuios, siluasque, ferasque,





UVA. BHSC. LEG. 12-1 n°0947